JOH. JACOBI PEIERI M. St.
JOH. CONRADI FIL.

OBSERVATIONES
QUÆDAM
ANATOMICÆ,
IN

Homine non minus poſt mortem, quam in brutis avibusque viventibus ac mortuis contemplando notatæ Secando.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. ARNOLD. LANGERAK.
MDCCXIX.

30545I(1)

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LECTORI.

SI non faſtidis cadaveri humano aliorumque animalium ſubjecto curioſè diſſecto animum oculoſque advertere, ſ. te ſapientiæ ſ. rei pariter medicæ profeſſio delectet; fructum ſpondeo operæ minimè contemnendum. Nam ex illa l. abjectiſſimarum partium mirabili ſtructura opificem tuum cognoſces ſapientiſſimum, optimum, potentiſſimum. Actionum ſtupendarum cau-

ſas compendio diſces; & conſenſum concordiamque ſyſtematis hujus univerſi. Luſtrabis deinde ſecundæ atque adverſæ valetudinis fundamenta. Remedia partibus afflictis certius admovebis, & horridioris quoque præſidii ingruente neceſſitate, neque audacia præcipitabere, nec trepidabis metu.

OB-

OBSERVATIONUM ANATOMICARUM.

PRIMA.

In Cadavere humano Maſculino, Inediâ mortuo.

1. PIA mater facilè ſecedebat à cerebri inteſtinulis ſ. anfractibus inteſtiniformibus.

2. Nec arteria Carotis interna verſus Cervicalem, nec hæc verſus illam ullum antrorſum videbatur emittere ramum.

3. In omnibus 4or cerebri ventriculis ſeri flaveſcentis copia occurrebat notabilis.

4. Venæ cerebri cerebellique ſanguine turgebant.

5. In ſinu falciformi oblongus hærebat polypus, gracilis, extremo calloſo, craſſior grumoſo.

6. Plexus Choroëidei, in poſteriori utriuſque ventriculi lateralis angulo, referti erant hydatidibus, in reliqua verò parte glandulis conſperſi miliaribus.

7. Thorax in ſiniſtro latere & dextro copioſam ichoris lympham ferebat.

8. Pulmonum dexter planè lividus, corruptus, prægrandis.

9. Ductus Virſungianus ſ. Pancreaticus ab orificio Choledochi, pollicem verè diſtabat.

10. Lien erat prætumidus.

11. Pancreas in glandulis ſuis diſtentum.

12. Muſculus digaſtricus ſ. biventer non ſtylo-hyoideo ſoli, ſed & genio-hyoideo adhæſit.

13. Urether in duos diviſus ramos pluresque ramuſculos ita ut nulla ſingularis

laris conſpiceretur pelvis in Rene.

14. Muſculi erectores penis acceleratoreſque membranam tantum æmulabantur.

15. Muſculus Plantaris formam tendinis rotundi vel in principio habebat.

SECUNDA.

In Infante 8. annorum, ex variolis defuncto.

1. Abdomine aperto ſanum apparebat epiploon ſ. omentum.

2. Ventriculum, hepar, lienem, inteſtina, renes, veſicam, uterum præter exſpectationem invenimus puſtularum expertia, inteſtinalem fiſtulam, canalem circa duodeni finem paululum inflammatum, corroſum inſuper in glandulis racemoſis Peyerianis circa valvulam Bauhinianam & in recto.

3. Copioſa videbantur ſinuoſa glandularum Peyerianarum in proceſſu vermi-

miculari Coli orificia.

4. Hymen non aliâ, niſi membranæ parum prominentis formâ ſeſe viſui ſiſtebat.

5. Diaphragma, mediaſtinum & cor erant diſpoſita ſic ut in ſtatu naturali.

6. Trachea œſophaguſque puſtulis earumque veſtigiis omninò carebant.

7. pulmones à naturali colore multum aberrabant.

8. Linguæ dorſum fatali commaculatum erat nigredine, maximè circa fauces.

9. Gingivas labiaque ater obſidebat Sphacelus, maxillam utramque perioſtio dentibuſque anterioribus denudans, externæ menti ſuperficiei inuſtus apparens, tamque defœdabat faciem; labiis, ut, diſciſſis, Nigritam vel horribilius quid referret.

10. Cerebrum & cerebellum ſanguine turgentia non multum recedebant à ſtatu naturali.

11. Ovaria maculas externè nigricantes, veſiculas interne referebant.

TERTIA.

In Cadavere humano Fœminino, Diarrhæâ vitam finiente.

1. Duodeni glandulæ Brunnerianæ erant ſchirroſæ, maximè v. Ilei, ubi racemoſæ Peyerianæ diſtentæ & corroſæ, Coliqueſolitariæ induratæ erant.

2. Lien p. n. tumeſcens, coloris à ſano haud multum declinantis.

3. Ductus Virſungianus eodem, quo ſe Choledochus, orificio in duodenum exonerabat.

4 Hepar nec colore, nec magnitudine excedebat naturale.

5. Urether cum pelvi diviſus ut in præced. cadavere maſculino.

6. Tubæ Fallopianæ flatu facile diſtendebantur, extrema earundem non cohærebant cum ovario: ſed externæ ovarii ſuperficiei, caruncula pyrifor-

mis, quod valdè notandum, forſice tranſverſim diſſecta, duplicem exhibens ſubſtantiam, adhærebat.

8. Internum uteri orificium, ut & ipſe fundus calloſâ pollebat duritie quaſi Scirrhoſâ, rugæ ubique deerant.

9. Propè vulvæ orificium turmatim conſpiciebantur papillæ nerveæ.

10. Pia meninx facilè ſecedebat à corticali cerebri ſubſtantia.

11. In latebris ſ. angulis ventriculorum ichoris copia obſervabatur.

12. Nullæ erant hydatides plexibus choroëideis.

13. Exiguum, inter corpora pyramidalia & olivaria diſcrimen cernere licuit.

14. Sinus oſſis Sphænoidis uterque, duobus foraminulis egregiè rotundis hiabat in narium cavum.

15. Struma, curatè ſeparata, erat ſiniſtra glandula thyroidea; ad ejus latera muſculi jacebant ſterno-thyroidei, & ſterno-hyoidei, vena huic indita, à cla-

clavicula ad ſtrumæ medium uſque expanſa, ſanguine turgebat, interim circumcirca facillimè ſeparabilis, nulli alii notabili accreta vaſi ſanguineo, nervo muſculove.

16. Arteria carotis utraque ramum emittebat verſus cervicalem, vel ſi lubet cervicalis verſus carotidem, diſtinctè viſui offerens circulum Williſianum.

QUARTA.

In Infante recens nato, à crudeli matre ſuffocato.

1. Vena umbilicalis flatu turgida, hians in ſinum hepatis venoſum adhuc apertum.

2. Arteriæ umbilicales ad umbilicum uſque, pro funiculo umbilicali conſtituendo, protentæ, ab arteriis Iliacis ortæ, perviæ.

3. Urachi, quem omniſtudio atque

cura

cura inveſtigare animus erat, orificium patulum nudo oculo ante ſetæ introtruſionem conſpicuum, at arctum, ita tamen ut ſetam porcinam facillimè admitteret, quam ad aliquot pollicum ab umbilico diſtantiam protrudere intra ejus cavum licuit, ubi conſpicuus nodulus ulteriorem recuſabat progreſſum.

4. Foramen ovale hians adhuc erat & patulum.

5. Canalis communicationis arterioſus ex arteria pulmonali in aortam, perpendiculari adhucdum è corde viâ patens.

6. Pulmones aquæ immiſſi ſupernatabant.

QUIN-

QUINTA.

In cadavere humano Maſcul. apoplexiâ extincto, in cujus abdomine vivum adeſſe animalculum credebatur.

1. Abdomen validiſſimè turgebat, tumore in latere lumborum & hypochondrio ſiniſtro eminente.

2. Eodem diſſecto prodibat corpus immane, ingens, globoſum, tenſum, ſanguivehis vaſis dives & nervis, verſus inferiora φλογώσεως ſignis notatum, colon fluidum in dorſo geſtans, inter duplicaturam peritonæi inſigniter ſeparatam hærens, totum ferè ſiniſtrum abdominis latus occupans, exſectum amphoram circiter explebat, dum depurabamus à cuticulis variis pro accuratiori examine, ſpontè erat ruptum ibi, ubi inflammationem prius notaveramus, gangrænoſam; effundebat magnam,

quâ

quâ opplebatur, cruoris fuſcî copiam, ſubſtantiæ flaveſcentis ſpongioſæ, lamellatim ſibi incumbentis; in qua hîc & ibi vomicæ apparebant ferali Sphacelato cruore & collecto pure diſtinctæ. Externè ipſi adhærens deprehendebatur ren ſiniſter, qui leviter tractatus diſſiliebat, dimidia ejusd. pars erat colore carneo diluto, ſimilis naturali, ſano, pelvi donatus bifida, per uretherem inflatum utrâque turgidâ, quarum altera dimidiam illam ſano ſimilem partem adibat, altera in ipſum bulboſum hocce corpus p. n. penetrabat, adeò ut illud renis pars eſſe ſiniſtri videretur, imò re penitius inſpectâ, dimidia tantum pars dimidiæ, alterius partis.

3. Ren ſiniſter cætera ſanus, nihil calculoſi l. præternaturalis includebat.

4. Ren dexter & colore & magnitudine planè non differebat à ſano; hydatidem in altero arcus extremo ferebat.

5. Urether renis ſiniſtri erat pervius ad veſicam uſque; nec ullo modo impeditus.

6.

6. Ventriculus vacuus, omninò flaccidus, penitus abſcondebatur ab hac mole morboſa.

7. Lien coloris atro-griſei, craſſus, magnitudinis à naturali non multum abſcedentis, exteriorem tunicam facilè dimittens, friabilis, ſanguine atro infarctus.

8. Flexura coli ſub ventriculo compreſſa occultabatur; reliquum coli liberum ad hanc flexuram protenſum dextri lateris fæce ſcatebat, dum alterum à flexura hac ad anum vergens planè flaccidum & collapſum ſuper dorſum tumoris incedebat.

9. Sterno à cartilaginibus coſtarum ſoluto pulmones pleuræ adnati, fœdo colore conſpurcati erant.

10. Cranio ſ. a. ablato multum ſanguinis effluebat, arteriæ utriuſque meningis cerebrique prætumidæ, elegantiſſimas ubique oculo ſpectandas præbebant anaſtomoſes, nec tamen illas ſinum falciformem tranſgredi perſpicuè ob-

obſervare licuit, ſinum licet attingerent.

11. In ſinu falciformi polypoſa quædam occurrebat concretio carnoſa circa torcular Herophili.

12. Novem cerebri nervorum parium truncis diſciſſis, cerebrum exemptum in ſiniſtro hemiſphærio exhibebat ramum arteriæ carotidis ſiniſtrum lateralem Williſianum ſanguine liveſcente aterrimo ſphacelato diſruptum, ſimili cruore quaſi atramento totum hæmiſphærium ad ventriculorum uſque penetralia undiquè perfundentem.

13. In calami ſcriptorii ſulco fuſcus aderat liquor copioſus.

14. Arteria carotis utraque ex ultimo flexuræ angulo petens altiora, deprehendebatur diſcindendo cartilaginoſa.

15. Eadem arteria plures in receptaculis ſellæ Turcicæ Williſianis emittebat ramos, retis mirabilis Galeni vicem ſubeuntes.

16. Pia meninx facilè ſeparando evolvebatur ex cerebri inteſtinulorum gyris.

17. Et glandula pituitaria & pinealis naturali modo erant diſpoſitæ.

18. Nullæ glandulæ hydatideſque in plexibus choroeideis conſpiciebantur.

SEXTA.

In Cadavere hum. Maſcul. Hydropico.

1. Pulmones erant purulenti, flaccidi, dextro pulmonum lobo multùm minore ſiniſtro, tunicâ valdè craſſâ obducto, ſeroque ad duas l. tres pintas quaſi inſulæ innatantes.

2. Hepar glanduloſum; ſcirrhoſum planè, cujus glandulæ aliæ majores erant piſis, minores aliæ, maximæ avellanis aſſimilandæ, flaviuſculæ.

3. Lien magnus, ad duas ponderans libras, aterrimus.

4. Renes ſolitò non majores nec minores, bonæ ſubſtantiæ, uretheres tamen magis laxi erant, quibus tubulum intrudere non ægrè potuimus.

5. Pancreas duriuſculum, ſchirroſum.

6. Ventriculus amplus, non inflammatus, ſed valdè dilatatus videbatur.

7. In abdomine plurimùm quoquè aquæ ſeroſæ ſtagnabat.

8. Cranio ablato, duram cerebri meningem ſ. duram matrem, forſice in quatuor diſcidi partes, ſinumque longitudinalem inflavi, valvulis quatuor inſtructum.

9. Pia meninx ſ. pia mater cerebri inteſtinula plenè amiciens, multis ſtipata erat glandulis miliaribus.

10. Dextrum cerebri hemiſphærium ſ. dexter cerebri lobus rubebat præſiniſtro à venulis arteriiſque ſanguine rerefertiſſimis.

11. Demonſtravi decem paria nervorum, nempe 1. par olfactorium ſ. proceſſus papillares l. mammillares 2. par op-

opticum; 3. par oculorum motorium, 4 par patheticum, 5. par diviſum, 6. par cingens oculos, 7. par auditorium, 8. par vagum, 9. par linguale, 10. par ad vertebralia tendens; circulum Williſianum, membranulam ſ. plexum arachnoidem, ſeptum lucidum, corpora ſtriata, thalamos nervorum opticorum; corpus calloſum; crura anteriora & poſteriora thalami nervorum opticorum, quatuor cerebri ventriculos, plexum choroëideum quamplurimis glandulis locupletatum, ſatis amplum; glandulam pinealem, ac pituitariam cum infundibulo, vulvam, pontem Varolii, valvulam magnam, calamum ſcriptorium, corpora olivaria & pyramidalia, glandulas cerebelli cum pedunculis ſuis Williſianis, ad utrumque latus ſepti lucidi erat magna ſeri copia.

12. Sinus Frontalis in duas cavitates ſe dividebat.

13. Scrotum, ſecundum modum, Ravii Anatomici in Batavia Sagaciſſimi,

bos cum exemiſſem prius teſticulos, quàm flatu diſtenderim, in duas concamerationes ceu duo ſcrota ſeparavi.

SEPTIMA.

In Cadavere hum. Fæminino, Inediâ geluque hyemali necato.

1. Fœminæ hujus Belgicæ inteſtina externè erant non aliter diſpoſita, ac hominis nullo morbo defuncti.

2. Duodenum multis plicis glanduliſque Brunnerianis quamplurimis inſtructum vidimus.

3. Jejunum vacuum, nullæque in eodem glandulæ conſpiciebantur.

4. Inteſtinum Iliûm intùs valdè mucoſum à pulte flavâ fœtidisſimâ, vermibus plenâ, in hoc quoque glandulæ viſum noſtrum fugiebant.

5. Cœcum materiâ ſtercoreâ craſſiori, graveolente ſcatebat; appendix ſ. proceſſus vermicularis huic adhærens in-

inteſtino, conſtabat tunicis ferè craſſiſſimis.

6. Colon amplum, tribus ligamentis ligatum, valvulis ſuis conniventibus Kerckringianis maximè refertum videbamus, inſignis præterea valvula Bauhiniana in fine Ilei apparebat; totum aliàs colon ſtercoribus duris conglobatiſque fœtebat.

7. In inteſtino recto, quod ſtercore ſemper eſt munitum, unam atque alteram glandulam ſolitariam longè à ſe invicem diſperſam conſpeximus.

8. Inter abdominis muſculos in utroque latere aberant pyramidales, ambo contra muſculi recti erant ſolitò longiores.

9. Hepar ponderoſum, ſuprà modum ingens, in ſima ejus parte protuberabat ſteatoma pugno non minus, in cujus folliculo maſſa ſebacea cum vermibus multis cucurbitinis continebatur; aliud ſteatoma in parte convexa ejuſdem ſubſtantiæ; propè venam Portarum autem meliceris cum folliculo valdè duro,

lapillis obducto (ut dolium tartaro intùs obducitur) ubi latebat materia flava, craſſiuſcula, ad conſiſtentiam mellis, ſex lapillis locupletata.

10. Lien rubicundus, puſillus, glandulis candicantibus imbricatus; ſeparatâ deinde tunicâ non in lienis ſubſtantia, ſed in ipſa membrana intùs ut extùs contemplabantur hæ glandulæ minutiſſimæ ac perforatæ.

11. Pancreas oblongum, duriuſculum, habebat ductum, qui inſerebatur in inteſtinum duodenum propè ductum choledochum, non quidem in idem ductus choledochi orificium, ſed per diſtantiam circiter pollicis ab eodem.

12. Renes erant juſti, eorum ductus Belliniani ac papillarum carunculæ conſpicuè cernebantur.

13. Uterus tangendo maximè durus, craſſus, vagina ejudem plicata continebat glandulam majorem, quæ, preſſa, humorem ſtillabat ſanguini ſimillinum; ovaria juſtæ proportionis, minutis ovu-
lis

lis diſtinctis, dotata copioſiſſimis; tubarum Fallopianarum dextra, tubulo impeditùs inflabatur; ſiniſtra non, ob exiguitatem foraminuli in uterum hiantis, in medio uteri fundo hærebat caruncula rubra, bifidata.

14. Ad bronchos externè ſunt glandulæ, quæ hîc abierunt in ſubſtantiam omninò lapideam.

OCTAVA.

In Infante 9. circiter mens. Peripneumoniâ diriſque convulſionibus vexato.

1. In meſenterio multæ erant glandulæ ſcirrhoſæ, albidæ, majores minoreſque.

2. Ventriculus, juſtæ proportionis, intùs gerebat maſſam ſubatram, viſcidam, nares acriter ferientem, rugis ſ. plicis implicitam, valdè mucoſam, tunica ejuſdem villoſa omninò eroſa vi-

debatur, in ventriculo ne unam quidem glandularum cernebamus, ſed ad pylorum magnam miliarium multitudinem ac valvulam inſignem.

3. duodenum forfice diſſecantes, indagavimus inſertionem ductus choledochi, quem tubulo inflavimus, ibi verò locorum, ubi aliàs ductus pancreaticus hiabat, non erat orificium, ſed tuberculum ſ. protuberantia ſchirrhoſa, valdè notabilis.

4. Jejunum etſi fuerit vacuum, habuit tamen glandulas perforatas quamplurimas.

5. Inteſtinum Iliûm tenuiſſimum, erat obductum liquido nigerrimo, glandulis racemoſis 17. tunicâque villoſâ internâ corroſis.

6. Cœcum rugoſum, maſſâ tenaciori, atrâ nonnihil, gerebat valvulas quamplurimas glandulaſque.

7. Colon membranæ peritonæi fortiter annexum, conſtipatum erat globulis majoribus, nigricantibus, durioribus,

bus, qui quaſi in ſacculo continebantur, reliquum verò ſpatium, quod erat vacuum, corrugatum coarctatumque vidimus non aliter ac fiſcum filo conſtrictum, multæ inſuper glandulæ aderant valvulæque conniventes.

8. Inteſtinum rectum duris hiſce modò dictis globulis refertum, glanduliſque perforatis quaſi imbricatum contrectavimus.

9. Hepar magnum, rubidum, venam umbilicalem adhùc perviam gerebat.

10. Lien parvus, rubicundus, morboſi nihil in ſe continebat.

11. Renes ſani, ductibus Bellinianis maxime conſpicuis, in carunculas papillares deſinentibus dotati, quæ carunculæ digitis compreſſæ ſtillabant liquorem urinæ haud abſimilem.

12. Dexter pulmonum lobus rubebat à ſanguine multo coagulato, abundantique pure ſcatebat, ſiniſter contrà lobus prorſùs ſanus reperiebatur.

13. Cor medium inter pulmones locum occupans, tres hoſpitabatur polypos tenues & longos in vaſis tribus, Arteriâ nempe magnâ ſ. aortâ, venâ cavâ & arteria pulmonali; foramen ovale adhùc erat patulum, & canalis communicationis pervius, valvulæ in aorta ſiniſtri ventriculi ſigmoideæ l. ſemilunares tres, ac unum tantùm arteriarum coronariar. orificium, id tubulo cum inflaſſem, ramuſculi ſtatim exinde intumuêre; tres etiam valvulæ ſemilunares extiterunt in arteria pulmonali: vena cava dextri ventriculi ſiſtebat tres valvulas tricuſpidales, vena pulmonalis autem duas mitrales, cæterùm auricula dextra major erat ſiniſtrâ, & ventriculus ſiniſter longè durior craſſiorque dextro.

14. Cranio denique ablato in conſpectum venerunt ſinus, longitudinalis ſ. falciformis, polypo longiori obſtructus, duo ſinus laterales ſanguine coagulato intùs ſcatente, extùs rubebant, ſinus in univerſum numeravi duodecim.

15. Inter ambo cerebri hemiſphæria jacebat grumus ſanguinis prælongus craſſuſque.

16. Novem paria nervorum accuratè perluſtravimus ac glandulam pituitariam ſellæ Turcicæ inſidentem cum infundibulo; corpora ſtriata, thalamos nervorum opticorum, quatuor ventriculos, plexus choroëideos amplos, nonnihil glanduloſos, crura anteriora & poſteriora fornicis, ſeptum lucidum, glandulam pinealem puſillam, vulvam, teſtes nates, pontem Varolii, calamum ſcriptorium, medullam oblongatam; corpora olivaria ac pyramidalia quaſi filamenta nervea, glandulaſque cerebelli cum pedunculis ſuis Williſianis.

NONA.

In Puero 14. circiter annor. Atrophico.

1. Muſculis abdominalibus omnibus cum peritonæo ordine ſeparatis, offendimus meſenterium flaviuſculum, craſſiuſculum, perpluribus glandulis ſchirrhoſis, avellanæ majoris magnitudine ubiquè obſeſſum.

2. Ventriculus & inteſtina exteriùs quamvis non rubicunda nec ſordida apparuerint, interiùs, tamen nil niſi pultem mucoſam, lumbricoſque ſuprà 20. alebant; tunica villoſa ſ. mucoſa ventriculi erat exeſa, glandulæ conglomeratæ ſ. racemoſæ Peyerianæ in inteſtino jejuno iliûmque videbantur quidem ultra viginti, ſed multùm eroſæ, longiſſimi his inteſtinis inerant lumbrici.

3. Hepar magnum, lien parvus erat,

rat, rubicundior hepate; renes in utroque latere naturales.

4. Pulmones pallidiuſculi, flaccidi, glandulas bronchiales habebant petroſas.

5. In corde omnia vaſa gerebant polypos, vena cava maximum, digiti craſſitiem omninò æquabat; vena pulmonalis paulò minorem, aorta & arteria pulmonalis minimos, carnea cordis ſubſtantia non erat rubicunda, ſed candida nonnihil; valvulæ, quæ ſunt in vaſis, extiterunt pulcherrimæ.

6. Dura mater ſ. meninx in ſinu falciformi ſ. longitudinali longiſſimum continebat polypum, propè autem hunc ſinum ad utrumque latus in pia matre glandulas multas minutiſſimas intuebamur, decem illa nervorum paria, ſeptum lucidum, quatuor ventriculos, aquâ ſeroſâ impletos, corpora ſtriata ità conſpicua, ut minutos eſſe nervulos quivis præſentium videre potuerit, fornicem, crura ejuſdem anteriora & poſte-

ſteriora, thalamos nervorum opticorum, plexus choroëideos magnos, glanduloſos, vulvam, teſtes, nates, glandulam pituitariam cum infundibulo, glandulam pinealem parvam, pontem Varolii, calamum ſcriptorium, medullam oblongatam, corpora olivaria ac pyramidalia multis ſtriis delineata, glandulas denique cerebelli cum pedunculis albis Williſianis.

DECIMA.

In Mola.

IN mola uterina nil niſi grumoſam & polypoſam concretionem bis obſervavimus.

UNDECIMA.

In Cane ſtrangulato.

1. Duas habebat glandulas thyroideas, magnas.

2. Si-

2. Sinus cordis venoſus cum auricula unum continuum cavum conſtituit, & auricula eſt illius tantummodò appendix lateralis; ſinus venoſus immediatè reſpondet orificio ventriculi, in ſinum verò venoſum lateraliter hiat auricula.

3. Penis plus quam $\frac{1}{3}$ eſt oſſeus, os verò eſt ſulcatum, in quo membranoſa urethra decurrit, ſuprà dorſum duæ apparebant venæ turgidæ, nodoſæ, decurrentes ad initium uſque & paulò ultra iſtius oſſis.

4. Proximè ad ſuperficiem urethræ erat corpus celluloſum, ut corpora nerveo-ſpongioſa.

5. Externè muſculoſum dorſi oſſei tegumentum, à cute volubili tectum copioſas turmatim inſidentes magnas habet papillas nerveas.

6. Teſticulus per mediam dorſi longitudinem diſſectus viſui obtulit corpus olorinum ſ. ductum Highmorianum, ad cujus latera hiabant ductus ſemini vehi.

7. Ve-

7. Veſica urinâ plena, digito leviter preſſa, difficulter lotium emittebat.

8. Ductu cyſtico ligato, communique inflato ductu, hepaticum ductum non ipſam verò fellis veſiculam turgeſcere obſervavimus.

9. Ventriculus, antequàm in duodenum abit ſ. poſt pylorum, magnum habet ſinum, cui adhæret initium duodeni tenuius.

10. Ductus Pecquetianus ſ. thoracicus, qui immediatè ſubjacet aortæ, in ciſternam chyli, foramine facto, tubulo inflabatur.

11. In ventriculo ſemi-pleno aſſumptorum color erat cinereus, rugæ conſpiciebantur concurrentes verſus pylorum, verſus ſuperius autem orificium nullæ aderant.

12. Pylori apertura craſſitiem pennæ anſerinæ non multùm ſuperabat.

13. Contenta ſinûs pylori erant fluidiora, tenuiora, oſſa licet intermixta, magis albicantia, ſinus pylori ventriculum

culum quaſi ſecundarium conſtituere videbatur.

14. Ductus choledochi in duodenum inſertionem abſque diuturna inquiſitione indagavimus; veſiculam tantùm premendo tamdiu, donec bilis exierit in inteſtinum duodenum: ductus choledochus duos à pylori orificio; ductus verò pancreaticus, 5. digitos tranſverſales à pyloro diſtabat.

15. Proceſſus vermicularis copioſas, offerebat oculis glandulas conglobatas diſperſas.

16. In inteſtini recti extremo plures conſpiciebantur lacunæ rotundæ, glandulis conglobatis conſperſæ.

17. Glandulas racemoſas Peyerianas nec circa finem Ilei, nec circa Coli initium apparentes ullas conſpicere licuit.

18. In tarſo prope canthum oculi majorem nulla conſpiciebantur puncta lachrymalia; ſed eorundem loco, apparebant cœca orificiorum veſtigia. Carunculæ lachrymalis loco; aderat

foramen ſatis amplum, patulum.

19. Muſculos oculi numeravimus decem, quorum ſex ordinarii nil habent notatu dignum, niſi quod muſculus trochlearis ad illum locum, (ubi in hominis orbitâ oculi hæret cartilago trochlearem tranſmittens,) foramen habuerit, cui tendo inſerebatur, reliqui verò quatuor muſculi, ex fundo orbitæ orti incedebant ſuper nervum opticum, illumque ex parte tegebant, non totum, inſerentes ſeſe bulbi oculi medio.

20. Tunica oculi choroëides non facilè ſeparabatur.

21. Meatus auditorius in utraque aure cerumine penitùs infarctus reperiebatur.

DUO-

DUODECIMA.

In Fele viva.

1. Motum Inteſtinorum, Periſtalticum vidimus.

2. Circulares inteſtinorum fibras obſervavimus.

3. Ductum lymphaticum ſuperficiei veſiculæ felleæ incubantem vidimus.

4. Meatus choledochi inſertionem ductu valdè obliquo in Inteſtinum, duobus à pyloro digitis transverſalibus, conſpeximus.

5. Hepar mihi rectè viſum erat glandulosum, in aliquot majores æque ac minores lobos partitum, rubidum. In maximi lobi inciſura ejuſque ſinu apparuit ſedes veſiculæ felleæ, quâdam ſui parte prominentis.

6. Lien erat minimè magnus, rubicundior tamen hepate, linguæ figuram æmulans, quem luci obverſum conſta-

re ſpectaveram ex glandulis albicantibus, intermediis ſpatiolis rubellis.

7. Pulmones in utroque latere conſtabant ex ſeptem lobis, quorum quatuor ad dextrum, tres reliqui ad ſiniſtrum thoracis ſinum videbantur candidi, per tubulum poſteà inflati, alicujus inſtar pomi, veſiculoſi.

8. Cor primo ſtatim intuitu palpitans cernere ſatis diu haud nequivi; ejus ventriculus dexter habebat auriculam majorem magisque rubicundam; ſiniſter verò auriculam minorem, eamque pallore quodam gaudentem.

9. In Inteſtino Iliûm latebant lumbrici valdè tenues, longi, nullam edentes motionem, concatenati.

10. In Inteſtino jejuno erant glandulæ racemoſæ Peierianæ.

DECIMA TERTIA.

In Cane vertiginoſo.

1. Pulmones in pleriſque lobis erant ſanguine ſuffuſi, eorumque veſiculæ penitùs expanſæ.

2. Cor p. n. nimis extenſum, auriculaque dextra ſimiliter valdè diſtenta à ſanguine, ſiniſtra verò vacua; color cordis niger erat.

3. Vena Cava, vena Azygos pariter, & Jugulares internæ à ſanguine nigro turgebant, aorta verò planè flaccida, collapſa.

4. Ductum thoracicum, liquore loturæ carnis ſimili plenum reperimus.

5. Statim ac larynx aperiebatur propè epiglottidem in ſacco, qui laryngem cum pharynge junctam tenet, latebat vermis colore virideſcente, planus, fimbriatus, latus ſupernè, infernè gracilis, in conſpectu noſtro ſeſe

mutans ad æqualem latitudinem.

6. Hepar maculatum, hîc & ibî veſiculas aëre plenas offerebat; veſicula annexa bile referta.

7. Ventriculus apertus fœtidiſſimum ſpirabat odorem, liquoremque continebat loturæ carnis ſimilem; in toto reliquo fiſtulæ inteſtinalis tractu nihil alieni reperiebatur.

8. Cranio detecto, in cellula oſſium ſpongioſorum propè initium cerebri ad latus proceſſuum mammillarium latebat vermis ſimilis eidem, quem anteà jam deſcripſimus. Cerebrum & cerebellum intùs & extùs ſaniſſimæ conſtitutionis erant.

DECIMA QUARTA.

In Lepuſculo.

1. Cute abdominis detractâ ſpontè ſtatim in conſpectum venerunt duo ſacculi oblongi, acuminati, in inguine.

2.

2. Penis cylindriformis, ope ligamenti ſuſpenſorii affixus pubi, & mediantibus corporibus nerveo-ſpongioſis, tuberoſitati oſſis Iſchii adhærentibus, ad latera hujus penis erant duæ glandulæ, folliculo & materiâ albicante ſtipatæ.

3. Teſticuli evoluti ex involucro, oculis offerebant epididymides ſ. paraſtatas, corpus pampiniforme, vaſa deferentia pariter ac præparantia, illa ad latera veſicæ urinariæ progreſſu inſerebantur infrà veſicæ urinariæ collum, cuidam veſiculæ, quæ unica erat, hianti in cavum urethræ, ſimplici orificio.

4. Uretheres egreſſi è renibus, obliquè deſcendentes, inſerebantur tergo veſicæ urinariæ.

5. Ren unicâ gaudebat caruncula papillari; arteria ejuſdem & vena emulgens dextri lateris altiore egrediebatur loco, quam in rene ſiniſtro; arteria tamen emulgens ſiniſtri renis altior

 erat,

erat, quam vena ejuſdem.

6. Renes ſuccenturiati, ab eodem, quo renes, ramo, arteriolam obtinebant

7. Vena cava incumbebat aortæ ad infrà renes uſque.

8. Ad inteſtini Ilei finem erat valvula, & propè hanc ſacculus appenſus, flatu dilatabilis.

9. Proceſſus vermicularis præamplus, valvulis obſitus erat glanduliſque.

10. Hepati aderat veſicula fellea, ductus hepaticus, cyſticus & choledochus ſ. communis.

11. Oeſophagus medio ventriculi dorſo inſeritur; ventriculus ad ſiniſtrum latus amplior, quod flatu apparebat, in dextro verò anguſtior; infrà pylorum, aciculæ capite minorem, erat ſacculus, cui duodenum ſuccedit.

12. Uterque ſuperior & inferior diaphragmatis muſculus diſtinctè conſpiciebatur.

13. Cor duobus gaudebat ſinubus ve-

venoſis, ambabus auriculis, utroque ventriculo, valvulis inſuper, & vaſis magnis, venâ Cavâ, Arteriâ pulmon. venâ pulmon. & Aortâ, arteriis quoque coronariis, quarum orificia utraque retrò valvulas intueri licebat.

14. Aorta ibi, ubi flecti incipit, tres emittebat ramos ſingulares, cruralem dextram, ac utramque carotidem, quæ ſingulæ ab aorta immediatè abſcedebant, harum poſteriores ad latera tracheæ aſcendebant, ac in aſcenſu ramos porrigebant laryngi conſpicuos.

15. Vena azygos valdè conſpicua aderat.

16. Cantho oculi majori, membrana adhærebat nictitans, non totum ſupra oculum ab uno cantho ad alterum extendenda.

17. Oculi bulbo ſubſtrata erat glandula inſignis, verſus canthum oculi majorem.

18. Oculi bulbo erant ſex muſculi, quatuor recti, duo obliqui, quorum

poſteriorum ſuperior neutiquam trochlearis; nullus verò aderat muſculus, nervum opticum cingens.

19. Oſſicula naſi ſpongioſa anteriora ſunt magis celluloſa, convoluta & intorta, quam poſteriora.

20. Oſſiculum auditus, malleus, cum incude coaluit.

DECIMA QUINTA.

In Mure.

1. Teſticuli, formâ, ſitu, vaſiſque ſimiles leporinis.

2. Veſicula ſeminalis unica erat, ut in lepuſculo.

3. Ventriculus, membranaceus, albicans, formâ, œſophagique inſertione ſimilis leporino.

4. Renes pro corpuſculi proportione magni, aliàs ut in lepuſculo conſtituti erant.

5. Hepati deficiebat folliculus bilioſus.

6.

6. Cor erat inſtar leporini.

7. Pulmonis veſiculæ nudo & inermi conſpiciebantur oculo.

8. Lien rubras hîc ſtellulas, loca ibi habebat pellucida.

DECIMA SEXTA.

In Lepuſculo vivo.

1. Apertâ abdominis membranâ, peritonæo, mirandam planè conſpeximus inteſtinorum circumgyrationem.

2. In meſenterio venas videbamus lacteas turgidas inſigni ſpectaculo, innumeri ferè numeri; ex iiſdem diſſectis humor effluxit albus, lacteus.

3. Diaphragmatis motum pro lubitu intuebamur, antequàm thorax aperiretur.

4. Aperto thorace, cor adhùc palpitans, pulmoneſque reſpirantes, quod mirum, obſervabamus.

5.

5. Corde cum pulmonibus exſecto, non ventriculorum cordis ſolùm, ſed & auricularum palpitationem excitavimus maximâ cum hilaritate.

6. Extinctâ ventriculorum cordis palpitatione, auriculæ tamen clariſſimam nobis dederunt oſcillationem.

7. Hepar rectæ proportionis conſtitutioniſque, lobos habebat numero ſex, major ex his abſcondebat veſiculam felleam collo incurvato, ductu cyſtico, hepatico, communi, inſtructam.

8. Ventriculus complectebatur materiam circumcircà viridem, in medio verò albugineam, propè orificium pylori aliquot contemplandæ erant glandulæ.

DECIMA SEPTIMA.

In Fele viva.

1. Factâ in abdomen ſectione, videre nobis licuit motum Inteſtinorum pe-

periſtalticum obſcurum; multa inteſtinis incumbens aderat axungia.

2. Nullæ venæ lacteæ in meſenterio nobis apparuerunt.

3. Thorax exhibebat cor magnum, valdè muſculoſum, cujus palpitatio per horæ circiter quadrantem durabat.

4. Pulmonum lobi quatuor in dextro latere, tres verò in ſiniſtro planè veſiculoſi fuêre.

5. Lien magnus, rubicundus, glandulis refertus.

6. Hepar quamplurimis ſcatebat glandulis, ejus color Rubino non multùm abſimilis, lobos habebat 5., quorum alter cuſtodiebat veſiculam felleam juſtæ magnitudinis, ductu hepatico, cyſtico, communique præditam.

7. Ventriculus capiebat parùm materiæ digeſtæ; tunica interior apparuit valdè rugoſa, nullis glandulis exornata.

8. Inteſtinum Jejunum, omni ferè materiâ licet vacuum, glandulâ tamen racemoſa Peierianâ ſuperbiebat.

9. Renes magni, phaſeoli-formes, intrinſecùs lutei.

10. Inteſtinum cœcum multis conſtabat rugis continuis.

11. Veſica tunicis gaudebat craſſiſſimis.

12. Glandularum Proſtatarum à veſica diſtantia, digito tranſverſali major non erat.

13. Teſticuli globoſi, magni, dimidiâ horum parte erant circumdati paraſtatis.

14. Veſiculas ſeminales tubulo inflatas, paraſtatis propemodùm accretas vidimus.

15. Propè Inteſtini Recti exitum, fortè fortunà incidi in duplicem veſiculam ſphæricam, orificia anum verſùs præbentem, contritâ minutim maſſâ plenam, odoris hirco fœtidioris, aciſſimi.

DECI-

DECIMA OCTAVA.

In Lepore.

1. Hepar quatuor conſtabat lobis, veſiculâ felleâ magnâ, cum inflexo collo, ductu cyſtico, hepatico, communi.

2. Lien parvus, anguſtus, longus, rubicundi coloris, glandulis ſtipatus erat.

3. Ventriculus materiam continebat ſubviridem, craſſiuſculam, cum mixtura ſubſtantiæ albicantis, duræ, adinſtar albuminis ovi indurati; interioris tunicæ pars dextra erat nonnihil villoſa, ſiniſtra verò glabra.

4. In oſtio inteſtini duodeni prominebat valvula valdè capax; idem duodenum maſſam capiebat flavam, vitello comparandam, glandulæ quoquè conglobatæ Brunnerianæ ſpectabantur ibidem.

5. Inteſtinum Jejunum Iliûmque oſtentabat glandulas quinque racemoſas Peierianas pulcherrimas.

6. Inteſtino cœco adhærebat valvula, dura, inſigni glandularum congerie ſplendida, hujus valvulæ orificium monſtrabat glandularum majorum æque ac minorum glomeramen; interiori Inteſtini cœci tunicæ inerant valvulæ longitudinales haud exiguæ, interſperſis interdùm glandulis conglobatis minoribus.

7. Externa inteſtini Coli facies erat tortuoſa non aliter ac unicornu; interna verò materia fuſco conſtabat colore, ejus etiam tunica interior valvulis munita punctiſque quaſi pertuſa conſpiciebatur.

DECIMA NONA.

In Talpa.

1. Thorace adaperto, Cor ſiniſtrorſùm jacebat, oblongum, duâbus in

inſtructum auriculis, quarum dextra major, rubra, ſiniſtra verò minor erat, minuſque rubicunda.

2. Pulmonum lobi ſex, ad dextrum tantùm latus ſiti, ſiniſtro nulli planè fuerant; unus horum, Cor obtegens, omninò rubebat.

3. Hepatis lobos numerabamus ſeptem, quorum major continebat veſiculam felleam, ductu cyſtico, hepatico, communi munitam.

4. Ventriculus erat valdè dilatatus, materiâ cineritii coloris impletus, tenuis, extrinſecùs videbantur venulæ ramulorum arboris inſtar eidem quaſi innatantes; œſophaghus à ſiniſtrâ & pylorus à dextrâ diſtabant à ſe invicem ne integrum quidem digitum tranſverſalem.

5. Lien inſignis erat magnitudinis, rubidus, veſiculis intertextis glanduliſque donatus.

6 Inteſtina tam tenuia, quam craſſa nullam inter ſe diſcrepantiam obtinebant;

bant; inteſtino enim cœco carent coloque.

7. Renes phaſeoliformes, glanduloſi, quorum dexter altior erat ſiniſtro.

8. Duobus teſticulis rotundis adhærent paraſtratæ.

9. Veſica parva, duriuſcula; non longè ab ejus collo pendebat veſicula, forsàn ſeminalis.

10. Diu quærens proſtatas, nullæ apparuerunt, an verò hæ reperiantur in Talpa, me latet?

11. Penis rotundus, longus, dimidiam tamen digiti minimi partem non ſuperat.

12. Meatum auditorium, quem non eſſe anteà credebamus, vidimus.

13. Globuli nigri, oculorum vices agebant.

14. In cerebro nil niſi ſinus, ipſamque cerebri ſubſtantiam molliuſculam contrectavimus.

VI-

VIGESIMA.

In Vulpe.

1. Incidimus in ejus dentes, quorum magnus erat numerus, in ſuperiore maxillâ extabant 6. inciſores, 2. canini ſ. oculares, 12. molares; inferior autem maxilla ſtipata erat 6. inciſoribus, 2. caninis, 14. molaribus.

2. Linguam inſpiciebamus longiſſimam, ſenſim ſine ſenſu acuminatam, papillularum interim nervearum ex eâdem propullulantium non multas vidimus fungoſas, ſed plurimas cuſpidatas.

3. Oeſophagus propè pharyngem munitus erat valvulâ, glandulis aliàs miliaribus diſſeminatus idem.

4. In dextro thoracis latere pulmonum lobi 3. in ſiniſtro verò fuerunt 4. quorum medium conſtituebat cor.

5. Cor valdè magnum, ob oculos nobis poſuit duos ſinus, auriculas duas,

totidemque ventriculos; dexter cordis ventriculus tres continebat valvulas in vena cava tricuſpidales; tres in arteria pulmonali ſemilunares ſ. ſigmoideas: ſiniſter ejuſdem ventriculus pulchris etiam gaudebat valvulis; in Aorta ſ. arteriâ magnâ tribus ſemilunaribus; in vena pulmonali autem duabus mitralibus; paululùm ſuprà valvulam trium ſemilunarium in Aorta hiabat os arteriæ coronariæ non minimum, nec longè à tribus illis valvulis, rotundus meatus in dextrum cordis ventriculum exibat.

6. Pericardium cordi propemodùm adhærens, nullo erat ſero refertum.

7. Coſtæ, quas numeravi, in utroque latere fuerunt 28. minimè duræ, ſed fragiles, cartilagineæ maxima ex parte, ob muſculorum intercoſtalium latitudinem, longè invicem diſſitæ.

8. Diaphragmatis muſculos, ſuperiorem & inferiores palpavimus cum centro pellucido magno, per id ipſum vena cava tranſgreditur, non verò œſopha-

phagus, ſed ille ipſe per utrumque inferioris muſculi diaphragmatici proceſſum progreditur.

9. Sex Hepatis lobi pulchri erant coloris rubicundi, glanduloſi, venam Portarum nec non venam cavam tubulo cum inflaſſem, tumidos ſanè fecit lobos omnes, veſicula fellea aderat magna, liquore viſcido, ſubflavo repleta, ductus ejuſdem choledochus bilem effundebat in inteſtinum duodenum eodem orificio, quo ductus pancreaticus pervius lympham inteſtinalem; orificia diſtabant duos circiter digitos à pyloro.

10. Ventriculus magnus, maſſâ ſcatens varii generis digeſtâ pariter ac indigeſtâ, odorem ſpirabat graveolentem; orificium œſophagi, pylorique curvatura ferè eſt ut in ventriculo humano; œſophagiptætereà inoſculatio in ventriculum ſepita erat ſphinctere, una pars ventriculi interna ab œſophagi orificio prædita erat villis quibuſdam,

propè pylori exitum nullam invenimus valvulam.

11. Duodenum retinuit materiam ferè glutinoſam, colore cineritio, una atque altera glandula Brunneriana clarè protuberabat.

12. Jejunum pultem habebat peſſimi odoris, colore ex fuſco-nigricante.

13. Inteſtinum iliûm materiam nigriorem, magis ac magis craſſam tenebat; valvula illa Bauhiniana non carebat, ſed glandulam prætereà ingentem racemoſam Peierianam obſervavimus.

14. Cœcum erat plenum fœtore ſtercoreo, proceſſus vermicularis tortuoſus, punctulis quamplurimis, nil niſi glandulis imprægnatus.

15. Colon ſtercore cinctum nigricante.

16. Inteſtinum rectum ſtercore plenum, ante ani foramen nonnullas habuit glandulas.

17. Lien magnus, rubidus, glanduloſus.

18.

18. Renes phaſeoliformes non erant procul ab hepate, rectæ magnitudinis & coloris, intùs viſi ſunt ductus Belliniani rectilinei, in carunculas 12. papillares, quaſi in conum concurrentes; uretheris orificium mediâ in pelvi non obliquè ſed perpendiculariter poſitum erat.

19. Ovaria à renibus digitum circiter diſtabant, pelliculâ obtecta, lentiformia, globulis interſperſa nigro-albicantibus, humore quodam adimpleta.

20. Uterus erat parvus, ejus autem cornua longiſſimum manûs digitum longa, flatu pro lubitu noſtro diſtendebantur.

VIGESIMA PRIMA.

In Fele viva.

1. Cute ſeparatâ, foramen perexiguum muſculis abdominalibus & peritonæo inflictum, inteſtina tenuia

cum impetu exibant, per foramen autem magis dilatatum pleraque abdominis viſcera mobilia prorumpebant.

2. Propria diaphragmatis actio depreſſoria in Inſpiratione conſpiciebatur.

3. Aperto thorace, collapſi ſtatim apparebant pulmones.

4. Cor interim agile pulſabat ità, ut, dum ventriculi conſtringebantur, Aorta dilataretur & auriculæ.

5. Vaſa lactea, quæ videbamus, ad pancreas uſque Aſellii erant protenſa.

6. Pancreas Aſellii manibus dum examinamus, conſpectui noſtro ſeſe ſiſtebat vas albedine nitens, quo diſſecto tubuloque inflato ſimùl inflabatur ductus ille Pecquetianus ſ. thoracicus ad venam uſque cruralem ſiniſtram; valvulæ hujus ductus elegantiſſimæ videbantur; incedebat ductus thoracicus ſuprà vaſa emulgentia, infrà diaphragma, Aortæ ſubjacens arteriiſque intercoſtalibus, adhærens œſophago; ad quemlibet flatum liquor velociter trajiciebatur:

tur: In toto ejus tractu nulla diramificatio ſ. bifurcatio obſervabatur.

7. Ductu thoracico inflato, auriculæ cum ventriculis jam collapſæ, denuò pulſabant.

8. Ductus Pecquetianus ſimulac inflaretur, in ſummo thoracis manifeſtè emergebat vas lymphaticum nodoſum.

9. Tunica œſophagi exhibebat primò fibras longitudinales; ſecundò rugas inſtar illarum, quæ palatum habet, non continuas, ſed diviſas.

10. Tunica ventriculi interna non erat rugoſa.

11. Ponè pylorum ſaccus erat, ad quem è ventriculo anguſtus erat tranſitus, pylorus validum obtinebat ſphincterem, ad finem hujus ſpecies aderat valvulæ.

12. Tribus infrà hunc ſaccum digitis eodem orificio inſerebantur ductus choledochus & pancreaticus in inteſtinum duodenum.

15. Hepati aderat veſicula fellea, cu-

jus ductui cyſtico commiſcebatur ductus hepaticus in unum communem choledochum; bilis cyſtica fuſca potiùs, quàm viridis.

14. In inteſtino Iliûm duo magni Aſcarides reperiebantur.

15. Proceſſus vermicularis propè inteſtinum colon deerat.

16 Renum pelvis varios in ramos diviſa cernebatur.

17. Inteſtino recto & veſicæ urinariæ uterus interjacebat bifurcatus ſ. vagina cum ambobus cornubus, quæ amplam ſatis cavitatem conſtituebant ad confinia uſquè annexorum ovariorum, ubi cavitas arctabatur.

18. Ovaria diſſecta, varias offerebant in utrâque ſuperficie eminentias convexas, nulla verò diſtincta ſatis ovula, vaſa ſpermatica à renum regione, maximè autem venæ ad ipſa ovaria progrediebantur, ut præparantia vaſa ad teſticulos in maſculis.

19. Cor figurâ gaudebat pyramidali,

li, duobus ſinubus venoſis, totidem auriculis, duplici ventriculo, ut & valvulis tribus tricuſpidalibus conſtabat, ad orificium ventriculi dextri venoſum, tribus ſemilunaribus ad arterioſum; duâbus mitralibus ad orificium ventriculi ſiniſtri venoſum, tribuſque ſemilunaribus ad initium aortæ, à tergo harum ambæ occurrebant arteriæ coronariæ.

20. Nervi diaphragmatici juxta latera cordis & mediaſtini decurrentes inſerebantur diaphragmati.

21. Rami paris vagi appropinquantes œſophago ſuperius ventriculi orificium ſuperſcandebant.

22. Pharynx ſphincterem habebat.

23. Os hyoides gracillimum cornua habebat longa, articulata.

24. Propè canthum oculi majorem intrà oculi bulbum & palpebram inferiorem membrana nictitans conſpiciebatur.

25. Veſiculæ pulmonis cum reticulo Malpighiano diſtinctè ſeſe offerebant nudo & armato oculo.

26. Veſica urinaria craſſa erat, intuſque valdè rugoſa.

VIGESIMA SECUNDA.

In Muſtela.

1. Pelle detractâ, in conſpectum veniebant teſticuli, utrinque dependentes, ſeparati.

2. Penis, oſſi pubis annexus, oſſeus, ad apicem falcatus, cute volubili tectus, coronâ rubicundâ præditus.

3. Veſicula peni in perinæo adhærebat mirè fœtens, liquido repleta.

4. Hepar utrumque hypochondrium replens, tegens ventriculum, ſeptem conſtans lobis, quorum duorum anteriorum & ſuperiorum medio inſidebat veſicula fellea, ductum emittens choledochum, duodeno perpendiculariter inſerendum.

5. Ventriculus ponè pylorum habebat ſacculum inſtar felis.

6.

6. Pancreas adhærebat inteſtino & lieni.

7. Lien æqualiter latus, amplus, fundo ſubjacebat ventriculi.

8. Totus inteſtinorum tractus erat æqualiter latus & craſſus, externè quibuſdam in locis viſui offerebat racemos glandularum Peyerianarum ſatis conſpicuos, translucentes.

9. Renes magni, (dexter erat notabiliter altior ſiniſtro) diſſecti in convexa parte unicam exhibebant papillam, quæ plurimorum erat tubulorum Bellinianorum congeries in centro Pelvis concurrentium.

10. Vaſa deferentia paraſtatis glandulis continua, obliquè aſcendendo in cavum abdomins retrogrediuntur, ac infrà uretheres collo veſicæ inſeruntur.

11. Veſiculæ ſeminales deerant.

12. Penis corporibus conſtabat nerveo--ſpongioſis, à tuberoſitate oſſis pubis propè ejus ſynchondroſin ortis, ibidemque muſculis acceleratoribus ac

ctoribus urethræ incumbentibus, in oſſeo ejus tractu internè erat ſulcatus penis ad finem uſque aduncum, cui commiſſa incedebat urethra membranacea.

13. Coſtarum erant quindecim in unoquoque latere, quinque in mobilem veniebant concurſum, reliquis non cohærentem.

14. Pulmo ſeptem conſtans lobis, cor complectebatur in medio; tracheæ annuli erant planè integri, epiglottis aderat ligamento ornata muſculoſo, inflatus pulmo ungulam bubulinam referebat.

15. Cor figuram habebat pyramidalem, ventriculus dexter ſiniſtro quaſi additamentum videbatur impoſitum.

16. Lingua in medio crenata, papillulas, microſcopio examinatas, offerebat acuminatas alias, rotundo alias capite.

17. Cerebrum quaſdam habebat plicas.

18. Nervi optici coëunt, antequàm pertingant ad cerebrum.

19. Oſſicula ſpongioſa poſteriora erant longa, inſtar chartæ complicata; anteriora, breviora, ſed magis complicata.

20. Muſculus maxillam inferiorem deprimens, oriebatur ponè proceſſum maſtoideum convexum, ſuper ejus convexitatem incedendo quaſi ſuper trochleam; inſerebatur baſi maxillæ juxtà longitudinem labii exterioris.

21. Meatu auditorio parvo, obliquo, oſſeo, diffracto, tympanum occurebat, cui adhærebat mallei manubrium, malleo, incus; huic, ſtapes; aderat cochlea; proceſſûs quoque maſtoidei cellulæ, cum meatu manifeſto ex cavitate tympani in eaſdem patulo, videbantur.

VIGESIMA TERTIA.

In Marte ſaxorum.

1. PElle detractâ, duæ propè anum conſpiciebantur veſiculæ, apertæ ſpirabant odorem egregiè fœtidum.

2. Ductus cyſticus duodeno perpendiculariter inſerebatur, non horizontaliter.

3. Unicuique reni erant octo carunculæ papillares.

4. Uterus, antequàm in cornua abiret, tuberoſitatem habebat duriorem; cornua flatui non facilè cedebant.

5. Cornubus inflatis, aër non ad ovaria uſque penetrabat.

6. Ovaria punctis nigris commaculata erant.

VIGESIMA QUARTA.

In Fele viva.

1. Motum periſtalticum per notabile temporis intervallum vidimus.

2. Oeſophagus ex parte rugoſus erat atque plicatus.

3. Ventriculum partim lacte coagulato, partim lumbricis dotatum mirabilibus invenimus; nullæ aderant rugæ, nec glandulæ.

4. Duodenum inteſtinum turmâ lumbricorum occupabatur, ejuſdem membranæ erant craſſiuſculæ.

5. Jejunum Iliûmque inteſtinum lumbricorum multos tenebat in palude quaſi natantes.

6. Cor mediocre duas habebat auriculas, duos ſinus, totidem ventriculos, auricula dextra minor erat ſiniſtrâ, dexter ventriculus in vena cava tres habuit

valvulas tricuſpidales; in Arteria pulmonali tres majores, quàm in aorta valvulas ſemilunares: in ſiniſtro quoque ventriculo tres vidimus valvulas ſemilunares, cum duobus arteriæ coronariæ orificiis, in arteria magna ſ. aortâ minores, quàm in arteria pulmonali, Mitrales duas in vena pulmonali.

6. Pulmonum lobi veſiculoſi, à dextrâ in quatuor, à ſiniſtrâ verò in tres dividebantur.

7. Hepar rubicundum ſex habuit lobos, quorum maximus tegebat cyſtin felleam incurvato collo.

8. Lien aliquâ ex parte rubicundior erat hepate, glanduloſus.

9. Renes fuſci, duodecim intùs ſcatebant carunculis papillaribus, ductus Bellinianos efformantibus.

10. Uteri cornua tubulo inflata, ad ovaria uſque diſtendebantur.

VIGESIMA QUINTA.

In Cane vivo.

1. Venas lacteas, in meſenterio copioſas clariſſimè vidimus.

2. Motum inteſtinorum periſtalticum per integram ferè horam durantem ſpectabamus.

3. Pectus cum eſſet apertum, cor pericardio obvolutum, dimidiâ demùm horâ finitâ, palpitare ceſſavit; intùs poſteà tres vidimus valvulas ſemilunares in arteria pulmonali dextri ventriculi majores, quàm in Aorta ſiniſtri ventriculi; in vena pulmonali ſiniſtri ventriculi duas valvulas mitrales, nec non in vena cava dextri ventriculi tres valvulas tricuſpidales, in arteria deniquè magnâ ſ. aortâ ſiniſtri ventriculi tres valvulas ſigmoideas ſ. ſemilunares minores, quàm in arteria pulmonali dextri ventriculi, ambo quoquè aderant arte-

riarum coronariarum orificia, extùs vidimus ſinus venoſos in utraque parte, duas auriculas, ventriculos totidem, quorum dexter tenuior ſiniſtro.

4. In dextra pectoris parte tres erant pulmonum lobi, quatuor in ſiniſtra.

5. Ductum Pecquetianum ſ. thoracicum, bifidatum, ejuſque valvulas majuſculas magnâ cum delectatione inſpeximus.

6. Hepar erat diviſum in ſex lobos, unum altero majorem, quorum maximus operiebat veſiculam felleam, liquore ſubflavo turgidulam.

7. Lien rubicundus erat.

8. Meatu choledocho in inteſtino duodeno inflato, veſicula fellea intumuit.

9. Præter ductûs choledochi orificium alia duo vidimus orificia ductûs Wirſungiani ſ. Pancreatici, unum proximè ductus choledochi orificium, alterum duos digitos à prædicto orificio diſſitum.

10. Ventriculus multis inſtructus erat rugis, maſſâque lacteâ.

11.

11. Jejunum Iliûmque inteſtinum, 9. viſui noſtro glandulas dedit racemoſas Peyerianas, inſignis magnitudinis; in fine Ilei maxima exſtabat.

12. Colón & rectum glandulas quoque tenebat, ſed conglobatas ad anum uſque.

13. Uterus ejuſque cornua fuerunt valdè pervia, quibus duo adhærebant ovaria exigua, ovulis prædita.

VIGESIMA SEXTA.

In Fele viva.

1. Abdomine diſſecto, inteſtina magno cum impetu proſilierunt ità, ut motum periſtalticum aſpicere nobis licuerit.

2. Venas lacteas innumerabiles in meſenterio videbamus.

3. Color vidimus adhùc palpitans, duos ejus ſinus venoſos, duas auriculas, totidem ventriculos, ventriculo-

rum vaſa, duas nempe arterias, venas duas, horum vaſorum valvulas; in vena cava, quæ eſt in dextro cordis ventriculo, tres valvulas tricuſpides, duas etiam valvulas mitrales venæ pulmonalis in ſiniſtro cordis ventriculo, ubi & aorta valvulis tribus ſemilunaribus exornata, duplicique arteriarum coronariarum orificio; arteria pulmonalis dextri ventriculi tres etiam habebat valvulas ſemilunares.

4. Hepar meris glandulis refertum, ſex lobis conſtabat majoribus ac minoribus.

5. Veſicula fellea manu preſſa, liquorem ſtillabat amarum per ductum choledochum ſ. communem in inteſtinum duodenum patulo orificio.

6. Ventriculus, planè rugoſus, erat craſſus, maſſâque inſtructus oleoſâ.

7. Jejunum Iliûmque inteſtinum glandulis gaudebat racemoſis Peyerianis.

8. Colon & rectum quamplurimis erat punctatum glandulis conglobatis à ſe

ſe invicem diſtantibus, ad ani foramen uſque.

9. Veſica erat parva, ſed craſſa.

10. Teſticuli oblongi, paraſtratis obſiti.

11. Penis minutus, cartilagineus.

12. Circà exitum inteſtini recti duas vidi veſiculas fœtore plenas.

VIGESIMA SEPTIMA.

In Cane ſurdaſtro.

1. Vivum adhùc canem quater ſuſpendimus, & vel tertiâ vice reſtituebamus, urinâ emiſſâ & fœcibus, immotiſque oculis ac demiſſis artubus mortuum viſum, ultimâ tandem vice laqueo diù vexatum, vitæ reddere nequibamus.

2. Cranio aperto, cerebroque cum cerebello deprompto, proceſſus papillares lati, abſciſſi, duplici ſubſtantiâ conſpiciebantur, & novem paria nervorum

alio planè modo ac in homine per cranium tranſeuntia.

3. Arteria cervicalis medullam oblongatam ſuperſcandebat.

4. Arteria carotis, cervicali per anaſtomoſin juncta, circulum efformabat Williſianum, cujus medium occupabat glandula pituitaria, paulò tamen retrorſùm, quàm in homine ſita.

5. Pia meninx valdè tenax, arctè tegebat cerebri gyros.

6. Ventriculo cerebri utroque per medium diſciſſo, corpora emergebant ſtriata, cinerei coloris, intermediis fibris medullaribus albicantibus perreptantibus; thalami nervorum opticorum, fuſci, nullis interſertis ſtriis medullaribus, plexus choroëidei, vulva, anus, nates, teſtes; glandula pinealis aberat: calamus ſcriptorius, corpora pyramidalia aderant.

7. Meatus auditorius uterque, ſordibus erat oppletus atro-virideſcentibus.

8. Malleus, incus & ſtapes erant ferè ut in homine.

9.

9. In oſſe Frontis ſinus valdè ampli videbantur.

VIGESIMA OCTAVA.

In Cuniculo vivo.

1. Motum periſtalticum inteſtinorum vidimus.

2. In meſenterio tribus inteſtinis tenuibus annexo, præter vaſa meſeraica ſanguine refertiſſima venas conſpiciebamus lacteas minutiſſimas venis incumbentes meſeraicis.

3. Ventriculum examinantes reperimus multâ repletum maſſâ varii coloris, acidum ſpirante; hâc dein maſſâ abjectâ tunicas quatuor ſeparavimus.

4. In fine Ilei, ubi inteſtina craſſa incipiunt, occurrebat valvula Bauhiniana.

5. Inteſtinum cœcum, quod plenum fuit materiâ ſtercoreâ viridiſcente, ſucculentâ, acidiuſculâ, omnium craſſo-

rum maximum eſt, multis magniſque ſcatens valvulis; huic eſt continuus appendix ſ. proceſſus vermicularis, qui nil niſi glandula erat conglomerata, punctata.

6. Colon triplici conſtabat ligamento, quamplurimis valvulis Kerckringianis, nec non glandulis miliaribus innumeris, pauco ſtercore exſiccato, nigriuſculo.

7. Rectum nonnihil plicatum ac tenue globulos tenebat ſtercoreos copioſos.

8. Hepar quatuor lobis præditum, ſub eorum maximo latens hærebat veſicula biliaria affixa cum ductibus, hepatico, cyſtico, quæ preſſa viridem exſtillabat liquorem è ductu choledocho ſ. communi in inteſtinum duodenum ibidem loci, ubi pancreaticus ductus hiat in idem duodenum.

9. Renes phaſeoliformes intùs continebant ductus Bellinianos valdè conſpicuos, in carunculas utrinque 10. papillares deſinentes.

10. Palpitationem cordis clarè videbamus ità, ut, cum auriculæ erant dilatatæ, ventriculi ſimùl conſtringerentur, & vice verſa; duæ erant auriculæ, dextra major ſiniſtrâ, duo ſinus venoſi, vaſa deindè conſpiciebantur, aorta ſcil. ſ. arteria magna ventriculi ſiniſtri cum valvulis tribus ſemiſaccularibus, ac duo arteriarum coronariarum orificia; vena pulmonalis in ſiniſtro ventriculo cum duabus valvulis mitralibus, dexter verò ventriculus ſ. thalamus monſtrabat venam cavam cum valvulis tribus tricuſpidalibus, arteriamque pulmonalem cum valvulâ unâ magnâ ſemilunari.

11. Pulmones in 5. diviſi lobos, inflati exhibebant rete Malpighianum conſpiciendum.

VIGESIMA NONA.

In Cane Pontico, ſenio occæcato, vivo.

1. Inteſtina magno cum niſu prorumpebant, peritonæo diſciſſo.

2. Vaſa lactea Aſelliana ex inteſtinis aliàs tenuibus egredientes, nulla conſpeximus, niſi in duodeno, quæ meſenterii glandulis inſerebantur.

3. Motum inteſtinorum periſtalticum intueri nobis licuit.

4. Ductus Pecquetianus ſ. thoracicus, ex voto apparebat ad corpus ſecundæ lumborum vertebræ, quem tubulo inflatum, ad venam uſque axillarem ſeparavimus.

5. Duos reperimus ductus Wirſungianos ſ. pancreaticos, unum, orificium habentem ad inſertionem choledochi, alterum verò tres circiter digitos transverſales à priore diſtantem.

6.

6. Choledochi ductûs orificium erat in fine duodeni, cui tubulum indere, eumque inflare facilè potuimus.

7. Omentum erat magnum, pinguedinum, in duas membranas facilè diviſum.

8. Pulmones ab aëre adhùc diſtentos, non priùs collapſos vidimus, quam ſternon totum fuiſſet ablatum.

9. Cor magnum, adipe obſeſſum, per dimidiam ferè horam palpitabat, ejuſque auricula dextra ſuprà modum capax & ingens oſcillationes ſuas toties iterabat, quoties ductus thoracicus inflabatur; cor figuram conicam repræſentabat, cujus apex infernè, supernè baſis erat; duo aderant ſinus venoſi, ampli, duæ auriculæ, dextra earundem longè major ſiniſtrâ, vena cava dextri ventriculi extitit magna cum tribus valvulis tricuſpidalibus; arteria ejuſdem ventriculi pulmonalis non minima, tribus erat prædita valvulis ſemilunaribus: Siniſtro cordis ventriculo inerant aorta

ſ. arteria magna, craſſa, cum valvulis tribus ſemilunaribus, ſuprà duas harum valvularum duo erant foramina arteriarum coronariarum, vena deinde pulmonalis non exigua, duas habens valvulas mitrales.

10. Foramen ovale in corde adhùc erat pervium.

11. Hepar rubicundum, ſeptem habebat lobos ac veſiculam felleam, ductu hepatico, cyſtico communique præditam.

12. Lien erat longus, rubicundior hepate.

13. Ventriculus ampliſſimus, rugoſus, craſſus, cujus orificium ſiniſtrum erat coarctatum fibriſque circularibus ſtipatum, pylorus verò ſolitò major latiorque, nonnihil plicatus.

14. Inteſtina intùs rubebant, extùs tamen albida videbantur, craſſiuſcula, adipoſa.

15. In inteſtino Iliûm ſeptem glandulæ racemoſæ Peyerianæ apparebant.

16. Cœcum rugis erat refertum, in fine Ilei valvula Bauhiniana aderat, colon non valvulas, ſed rugam unam poſt alteram poſſidebat.

17. Renum uterque examinatus, nobis exhibuit præter ductus illos Bellinianos viſibiles, carunculas 14., quæ manu preſſæ, exſtillarunt liquorem urinæ valdè ſimilem.

18. In oculo dextro, corneam inter & ſcleroticam tunicam, foramen cum eſſet factum, humor effluxit aqueus magnâ copiâ, valdè turbidus; & cornea, à tunica ſclerotica ſeparata, longè craſſior erat, quam in oculo ſiniſtro.

TRIGESIMA.

In Erinaceo canino, terreſtri, vivo.

1. Corium aculeis longè acuminatis erat munitum, horum aculeorum apices ſunt albi, medium verò eſt nigrum; ob craſſitiem & denſitatem acu-

aculeorum æquè ac cutis ipſius difficulter ſeparabatur.

2. In conſpectum venerunt caput veluti caninum, oculis, auribus &c. inſtructum, quatuor pedes, cauda cartilaginoſa, muſculus in dorſo quaſi orbicularis.

3. Glandulæ parotides cum ductu utroque ſalivali, nec non glandulæ ſubmaxillares luculenter apparebant.

4. Omentum tenue, amplum, nonnullis conſtabat glandulis candicantibus.

5. Omnia inteſtina per totum eorundem tractum erant æque tenuia; nullum aderat cœcum; tunica inteſtinorum ferè pellucida, glandulas perplures minutiſſimas transmittebat nobis contemplandas.

6. Ex hepate ſeptipinne quatuor ad minimùm ductus concurrebant ad communem illum choledochum; in membrana hepatis nil niſi glandulas concavas, perpuſillas intuebamur; parenchyma fuit rubicundum, veſicula biliaria

coe-

coerulea, rotunda, intùs capiebat bilem abundantem, viridi æris colore ſimillimam, ſapore amaram.

7. Lien floridus, canis adinſtar.

8. Pancreas prolixum, duobus ſe ductibus in inteſtinum duodenum exonerat.

9. Ventriculus capax, externè fibroſus, internè rugoſus erat.

10. Cor, ventriculis, ſinubus venoſis, duâbus auriculis, dextrâ majore ſiniſtrâ, valvulis, præditum, vidimus per tres ferè horas palpitans.

11. Pulmones Cor ambientes, in dextro unum; in ſiniſtro verò latere tres habebant lobos, pulcherrimè veſiculoſos.

12. Vagina uteri copioſis rugis erat exſtructa, & orificium internum ità coanguſtatum, ut ne acum quidem minorem introtrudere potuerimus; continua huic utero cornua amplitudine ſua pennam capiebant anſerinam; ovula quoquè in ovariis cernebantur.

TRIGESIMA PRIMA.

In Fœtu ovillo, cornu uterino adhùc inhærente.

1. Uteri orificium multiplex, valvuloſum, arctum, anfractuoſum, multo glutine, albo, ſpiſſoque obſitum.

2. Cornu alterutro aperto, fœtus chorio involutus amnioque, cinctus erat acetabulis copioſiſſimis, cornu ſubſtantiæ adnatis.

3. Utrâque membranâ diſciſſâ, humor ex amnio effluxit copioſus, ſaporis ſubſalſi, coloris turbidi, ſubflavi l. potius fuſci.

4. Alia inſuper membrana, pellucida, liquore non magis ſalſo ac liquor erat amnii, diſtenta conſpiciebatur, farciminalis, allontoides, quæ, veſicâ urinariâ diſciſſâ, per urachum ſubrubrum in medio arteriarum umbilicalium poſitum,

tum, inflabatur, chorion inter & amnion ſita, & ab amnio pellucido diſtincta, extùs hærebat, intùs ad extremum utriuſque allantoidis flocculi albi innatabant.

5. Arteriæ umbilicales inflatæ, earumque ramuli æquè, ac ramuli venæ utriuſque umbilicalis in ipſum placentularum meditullium penetrabant.

6. Cordi inerat foramen ovale.

7. Canalis ex arteria pulmonali in aortam tranſiens, arterioſus communicationis adhùc apertus, collocabatur in linea recta perpendiculari, ratione ad orificium dextri ventriculi arterioſum & aortam habitâ; arteria verò pulmonalis, pulmones jamjam ingreſſura, ad obliquam.

8. Thymus duplex ad thoracis cavitatem uſque penetrans, ad utrumque tracheæ latus accumbens, & circà maxillam inferiorem magis divergens, albicans.

TRIGESIMA SECUNDA.

In Veſpertilione vivo.

1. Faciei figura erat muris adinſtar.
2. Aures peramplæ, alatæ.
3. Oculi ſphærici, nigri.
4. Dentes acutiſſimi.
5. Vox ejus ſtridula.
6. Corpus piloſum.

7. Artus ſuperiores cum inferioribus, (manus & pedes æmulantes) & cauda jungebantur cum membrana alari plicatili.

8. Artus ſuperiores quinque conſtabant articulis, articuli ſecundi loco unguiculus adhærebat; extremus articulus in quinque partes longas, quaſi in manum expanſam explicatur.

9. Extrema pedum in quinquè digitos unguibus finitos dividebantur.

10. Cute ſeparatâ, penis cum appenſis in extremo involucri ſui nigricantibus

tibus oblongis teſticulis ſpectabatur.

11. Aperto thorace, inter pulmones collapſos cor cum ſuis ventriculis auriculiſque fortiter palpitabat ità, ut, dum auriculæ conſtringebantur, dilatarentur ventriculi, pòſt ictu oculi citiùs contraherentur ventriculi, ſed dilatantibus intereà ſimùl auriculis, apex tempore ſyſtoles appropinquabat ad baſin cordis, ultimò auriculæ ſæpiùs contrahebantur, antequàm thalami ſ. ventriculi ſemel conſtringerentur.

12. Inteſtina evolventes, diaphragma oſcillare deprehendebamus, cordis motu jamjam languido & ferè emortuo.

13. Hepar tribus conſtabat lobis; veſicula fellea ſiniſtro hepatis lobo adhærens turgebat atrâ bile, non interjacens flexuræ, quæ aberat, duodeni, ſed transverſaliter ei ſeſe inſerens, preſſa, liquorem in inteſtini cavum effundebat.

14. Pancreas erat bifurcatum.

15. Ventriculus in medio amplus,

anguſtus in utroque extremo.

16. Lien longus, ruber, ventriculi fundo ſubjacens, vaſis brevibus conſpicuis, adnatus.

17. Inteſtina facilè extricanda meſenterio alligabantur, deerat proceſſus vermicularis.

18. Capſulæ atrabiliariæ albicantes, perexiguæ, renibus altiores inerant.

19. A renibus valdè rubicundis ad teſticulos uſquè propagata vaſa obſervabantur.

20. Teſticulis epididymides in vaſa deferentia deſinentes, incumbere videbantur.

21. Veſica urinaria egregiè alba erat.

22. Diaphragma membraneum licet, in medio tamen pellucidius, craſſius iterum erat, ubi vena cava & ventriculus tranſibant, ut duplicem referret muſculum.

23. Auriculâ diſciſſâ, proceſſus prodibat maſtoideus pellucidus, tympanum intùs abſcondens & oſſicula quædam, po-

ponè hæc cochlea turbinis inſtar, conchæ candicantis & labyrinthi ſemi-circulorum veſtigia reperiebantur.

TRIGESIMA TERTIA.

In Fœtu ovillo cornu uterino adhùc inhærente.

1. Vagina mediocriter dilatata, intùs plicata, nullis glandulis viſibilibus ornata erat.

2. Internum uteri orificium prælongum, calamo ſcriptorio minimè craſſius, adeò coarctatum, ut tubulus minutus intrare ægrè potuerit, propemodum erat cartilagineum.

3. Cornua utraque tenebant duos quidem fœtus, ſed parvos, chorio amnioque incluſos, è quibus diſſectis aquæ ſeroſæ copia guſtui ſubſalſa de repentè ruebat.

4. Placentæ, cotyledones, aceta-

bula, (quæ figuram habent haud abſimilem lapidibus illis in Arnoba reperiundis, umbriis dictis,) ſupra 80 numerabantur; in funiculo umbilicali duæ arteriæ venæ totidem erant, quæ dum inflabantur, ſimùl intumuêre ramuſculi in cotyledonibus conſpicui.

5. Abdomine diſciſſo, veſica prodibat urinaria, in quam foramine facto tubuloque intromiſſo urachum tunicamque allantoidem ſ. farciminalem flatu diſtendere facilè potuimus.

6. Funiculum umbilicalem videbamus tortuoſè convolutum, membranamque, (quæ duas arterias, venas duas ac urachum obtegit,) innumeris conſperſam glandulis ſphæricis.

TRIGESIMA QUARTA.

In Inteſtinis Porcelli.

1. Portionem œſophagi, ventriculo adhùc adhærentis, ſecundum longitu-

gitudinem diſſecui, aſt nil, niſi fibras longitudinales unam poſt alteram videre contigit.

2. Ipſum adaperui ventriculum ab eò foramine œſophagi, quod hiat in ventriculum, ad illud oſtium uſque, quod vocatur pylorus, hujus ventriculi craſſitiem notabilem eſſe conſpiciebam, quatuor diſtinctis à me ſeparatis tunicis conſtabat; interior, quæ tunica villoſa dicitur, pluſquam 60. glandulis ſolitariis conſpicuis turgebat, quæ glandulæ omnes perforatæ erant. A latere ſiniſtro ſuperioris ventriculi foraminis erat ſacculus l. ſinus glanduloſus valdè capax, qui duos pollices facilè admittebat. Ventriculo materia inerat furfuris inſtar aquâ macerati, copioſiſſima, odoris ſubacidi, nares ferientis.

3. Duodenum glandulas aliquot ſolitarias cum maſſa ſubfuſcâ, liquidâ ſiſtebat.

4. Jejunum vacuum, Iliûm verò inteſtinum plenum materiâ nonnihil craſ-

ſiore, benè contritâ, coloris flavi, glandulas habebat racemoſas Peyerianas quindecim, unam alterâ, majorem, maxima erat duarum circiter ulnarum longitudine, quæ circa finem Ilei terminum figebat.

5. Cœcum, colon & rectum ſtercore flavo purgata, glandulas dabant ſolitarias, innumeri ferè numeri, eas penitius aſpiciens, conferebam cum fungoſis linguæ papillulis nerveis l. cum lapideis echinitùm papillis.

TRIGESIMA QUINTA.

In quatuor Ovis ventriculis.

1. Oeſophagus ſ. ſtomachus, qui facie externa nil niſi muſculum cylindriformen præſentabat, facilè dividebatur in quatuor ſuas tunicas, exteriorem nempe ſ. membraneam, muſculoſam, nerveam & interiorem ſ. villoſam, cujus fibras non per lineam re-

ctam ſolùm, ſed & per circulum formatas perluſtrare facilè potuimus.

2. Primum ſ. magnum ingreſſi ventriculum, nobis quaſi obviam, ivit congeries maſſæ alicujus flavo-virideſcentis, nondum penitùs ruminatæ, hâc ejectâ, papillulæ eminebant acuminatæ copioſiſſimæ; hic etiam venter ſuas habebat cameras ac glandulas nonnullas.

3. Primum relicti ventriculum feliciter appulimus ad ſecundum, araneum ſ. reticulum, in eo natura mathematicè quaſi nobis demonſtravit cellulas favo apum l. telæ etiam aranearum ſimillimas quoad figuras, globulis quaſi glandulis omnium minutiſſimis imbricatas.

4. Primo ac ſecundo egreſſi ventriculo, in tertium uſque, qui omaſum l. centipellio vocatur, ſumus progreſſi, quo videre licet folia illa lunæ formam habentia, majorum 16. minorum totidem, quæ glandulis quamplurimis quaſi ovulis obſeſſa erant.

5. Feliciſſimè progrediendo ad fundum

dum ventriculi quarti, qui abomaſum nuncupatur, pervenimus, ſed nonniſi plicis magnis glanduliſque tribus conglomeratis inſtructum invenimus.

6. His omnibus ſuperatis incidimus tandem in canalem inteſtinalem, qui à pyloro ad ani foramen uſque ad 45. ulnas menſurabatur; rectum erat craſſum, nullis glandulis conſperſum; Colon plicatum; cœcum valdè amplum, dimidiam ulnæ partem excedebat; Inteſtinum Iliûm vermes aliquot continebat cucurbitinos, 12. glandulas racemoſas Peyerianas, quarum maxima circa finem Ilei quatuor erat ulnarum.

TRIGESIMA SEXTA.

In teſticulo porcino.

1. Vas deferens, notabiliter cavum, flatuque dilatabile, continuum cnm epididymidibus mero tubulorum ſpermaticorum reptatu vermiculari quaſi ſplendentibus.

2.

2. Ductus Highmorianus ſ. corpus olorinum medio in teſticulo incedens, albicans fibris candidis, reptantes inteſtinulorum more gyros in ſeries diſpeſcens, parùm pervium, epididymidi continuum.

TRIGESIMA SEPTIMA.

In Utero Equino.

1. Vagina admodùm tenuis, ampla & adeò extenſa erat, ut ambabus manibus impeditùs penetrare potuiſſemus, quæ vagina non glanduloſa, ſed rugoſa ac mucoſa, conſpiciebatur.

2. Internum uteri orificium valdè pervium, prominulum, ex meris formatum plicis ſ. rugis, non cartilagineum.

3. Interno uteri orificio diſſecto duo ad latera apparebant foramina tubulum admittentia.

4. Ambo uteri cornua eandem cum ipſo

ipſo utero capacitatem efficiebant, iiſque, quibus uterus, rugis erant ſtipata, horum cornuum extremitates abeunt in oviductus quaſi ſerpentinos ſ. tubas Fallopianas, quæ contortæ erant non aliter ac vaſcula canis epididymidem conſtituentia, hunc ductum tubulo inflare non potui ad cornu uſque, portio hujus oviductus propè cornu indurata ac ferè in cartilaginem erat converſa.

5. In utroque ovario, ova, tunicâ obvelata membraneâ, cultello acutiore ex ergaſtulis priùs liberata, in aquam fervidam eorum ſeptem ponebam, quæ ſtatim inſpiſſabantur.

TRIGESIMA OCTAVA.

In porcæ utero & ovariis.

1. Ad bivium cornuum & in progreſſu, papillas pendulas, turgidulas vidimus.

2. Ovaria veſiculis oviformibus turgida,

gidâ, quarum veſicularum quædam erant pellucidæ, lymphâ diſtentæ, aliæ magis duræ, paucæ indureſcebant aquæ ferventi immiſſæ.

3. Veſicula lymphâ diſtenta, extremo tubæ, latiori, expanſo adhæſit.

TRIGESIMA NONA.

In utero ex pullo equino.

Ovarium geminum, reniforme, perpuſillum, tranſverſim cum eſſet diſſectum, nonnulla vidimus ovula ſubſtantiæ ſubflavæ inhærentia; tubæ Fallopianæ erant tortuoſæ; ad certam tantùm longitudinem, non ad cornua uſquè inflabantur.

QUADRAGESIMA.

In duobus ovium Jecinoribus.

Vermes ſeminibus cucurbitæ ſimiles, in majoribus venæ Portarum ramis con-

confertim videbamus; de his vid. Franciſc. Redi de generatione inſector.

QUADRAGESIMA PRIMA.

In Liene porcino.

Septem licet libras ponderaret lien hicce porcinus, nihil tamen in ſubſtantia ſua exhibebat, quam meram filamentorum l. vaſorum ramorum ſanguine atro refertorum congeriem.

QUADRAGESIMA SECUNDA.

In Fœtu Ovillo; cornu adhùc uterino adhærente.

Uteri venas lateris utriuſque flatu tumefactas, anaſtomoſi jungi arteriaſque arteriis clariſſimè obſervavimus.

QUA-

QUADRAGESIMA TERTIA.

In Vipera.

1. Oeſophagum videbamus protractum in fiſtulam inteſtinalem rectam, non anfractuoſam, cui ſacculus appenſus erat.

2. Trachea annulis quaſi conflata cernebatur.

3. Unicus duntaxat erat lobus pulmonalis, veſiculoſus.

4. Corculum pulmoni ſubjectum, tribus à detruncatione horis adhuc pulſans, languidum pulſum acûs punctura reſuſcitabat, unico gaudebat ventriculo ac ſimplici auriculâ; primùm contrahebatur auricula, poſtremò ventriculus; auricula quoque ultimò amittebat oſcillationem; corculum exemptum diu adhùc pulſabat.

5. Diaphragma nullum apparebat.

6. Hepar longiſſimum, per thora-

cem & abdomen expanſum, gracile, appenſa veſicula bile diſtenta viridiſſimâ, prædita ductu choledocho ſuprà veſiculam inflexo, inteſtino ſeſe inſeritur, orificio per bilis viridem colorem ſatis manifeſto.

7. Teſtes & renes erant albi.

8. Duo membra maſculina, longa, capitulo aculeato, aculeis flexilibus infrà anum proſiliebant è vaginulis.

9. Tunicæ inteſtinorum erant tenues, nec amplæ, in quibus minuta lacerta latebat.

10. Fœces inteſtinales erant fuſcæ, denſiuſculæ.

11. Caput licet abſcinderetur à trunco, ferè per trihorium tamen adhùc vivebat & os aperiebat.

12. Truncus à capite jamjam ſeparatus etiam diſſecando per trihorium ferè intorquebatur.

13. Lingua in capite bifida conſpiciebatur.

14. Dentes habebat acutiſſimos, omni

mni acu longè acutiores.

15. Nullas propè dentes inciſorios veſiculas obſervavimus.

QUADRAGESIMA QUARTA.

In Cornice.

1. Viventis adhùc cornicis thoracem cum aperuiſſem, cor pericardio circumdatum, palpitans ab hora nona cum dimidia manè aſpeximus, minimè credentes fore, ut per ſemihorii lapſum cordis motum l. vitam promovere poſſit; nihilominus illæſus quaſi nec ſaucius incedebat alacriter uſque ad horam circiter octavam ejuſdem diei veſpertinam, quâ ipſâ tandem occubuit.

2. Corculum examinantes duas invenimus auriculas, cum ſinubus, duos ventriculos, dexter eorum valvulam habebat ſemilunarem, amplam, ad hujus valvulæ latus canalis communicationis pervius ad aortam uſque obſer-

vabatur; ſiniſter tribus gaudebat minutis valvulis ſemilunaribus, ac duobus arteriarum coronariarum orificiis.

3. Pulmones poroſi, membranâ involuti quàm tenuiſſimâ, rubri deprehendebantur.

4. Uni ex duobus hepatis lobis annexa erat cyſtis fellea; magna, aterrimo ferè liquore referta, ductu cyſtico, hepatico & hepati-cyſtico donata; ibidem loci, quo liquor è veſicula fellea exonerabatur in inteſtinum duodenum, foramen erat ductus pancreatici, quod flatu intumuit.

5. Propè œſophagi in ventriculum inſinuationem complures vidimus glandulas tubulatas.

6. Diverticula aëris in dextra & ſiniſtra abdominis parte, ſita apparebant.

7. Renes in lobos erant diviſi irregulares.

8. Renes quoque ſuccenturiati aderant.

9. Ovaria minuta cum oviductibus conſpeximus.

QUA-

QUADRAGESIMA QUINTA.

In Corvo.

1. Omentum ventriculo adhærens, inteſtina tegens, ad anum uſque erat expanſum.

2. Veſiculæ felleæ fundus hepati non adhærebat, magnâ colli inclinatione gaudebat, ductus cyſticus & hepaticus eâdem aperturâ hiant in duodenum, ductibus duobus hepati-cyſticis ex hepate in veſiculam felleam ſeſe exonerantibus.

3. Pancreas duodeno duobus pollicibus infrà ductus choledochi orificium inſerebatur.

4. Ventriculus tangendo durus, hordeo, tritico, ſiliculis albicantibus refertus, rugoſus, rotundus.

5. Duo ventriculi muſculi cultro facilè ſeparabantur.

6. Hepar duobus conſtabat lobis, ſu-

periori ventriculi orificio accretis.

7. Diaphragma erat membranoſum.

8. Lien oblongus, rutilus, ventriculi fundo adhærebat.

9. Dexter cordis ventriculus unicâ inſtructus erat valvulâ ſemilunari, arteria ſiniſtri ventriculi triplici ſemilunari, vena verò duabus valvulis mitralibus.

10. Larynx mobili deſtituebatur epiglottide, ſed erectâ gaudebat.

11. Tracheæ annuli integri, pœnè oſſei.

12. Meatus auditorius amplus in fine tympanum tenebat obliquum, cui oſſiculum unicum mallei vicem gerens inhærebat.

13. Labyrinthus ſ. canales tres ſemicirculares prudenti operâ facilè eximebantur.

14. Oſſe roſtri ponè utraque narium ſpiracula diffracto, in conſpectum veniebat membrana olfactoria in duos convoluta gyros; roſtrum diffractum in egregiam, oſſeam texturam reticularem efformatum erat.

QUA-

QUADRAGESIMA SEXTA.

In Fulica.

1. Thorace aperto, per trihorium ſuperſtes vivebat.

3. Pulmo inflatus dorſo coſtiſque erat affixus.

3. Aperto abdomine & pulmone inflato, folliculus utrinque turgebat flatu diſtentus, pellucidus, farciminalis, ad anum uſque protenſus, amplior in initio, in fine arctior, in quem è pulmonis extremo manifeſtus amplo utrinque hiatu patebat aditus.

4. Duos ab utroque Ilei extremi latere proceſſus vermiculares reperimus ſatis longos, fœcibus flavis repletos.

5. Veſicula fellea membranea, hepati parùm cohærens, ductum habebat cyſticum valdè inflexum & hepaticum, diſtinctis in duodeni inflexam portionem hiantes orificiis; unicus etiam ad-

erat ductus hepati-cyſticus.

6. Bilis colore nigerrima, amariſſima guſtu erat.

7. Hepar in duos diviſum lobos, ventriculo erat accretum.

8. Diaphragma membraneum.

9. Duplex aderat Pancreas.

10. Oeſophagi finis propè ingreſſum in ventriculum circumcircà obſidebatur glandulis conſpicuis. In reliquo ad fauces uſque nullæ videbantur, at rugæ, maximè in faucibus, magnæ, ab ore ad ventriculum uſque protenſæ.

11. Tympanum, oſſiculum ei immerſum cum labyrintho apparebat; duo ſemicirculi è labyrintho cruciatim ſe invicem decuſſant minimus mediuſque; diffracti omnes erant pervii, texturæ oſſeæ retiformi impliciti.

12. Oſſicula ſpongioſa anteriora & poſteriora cohærent, nervus olfactorius rectâ in eadem ſe inſerit.

QUADRAGESIMA SEPTIMA.

In Corvo.

1. Aperto thorace, cor valdè pulſabat, exciſum diù adhùc palpitabat, & palpitationem jamjam ceſſantem forficis punctura, præprimis in apice cordis redintegrabat.

2. Utrumque ventriculi muſculum, duræ tunicæ internæ firmiùs adhærentem; pylorus inter utrumque exibat; ventriculus eſt latus, & ab utroque latitudinis extremo uterque poſitus erat muſculus: ſuperius ventriculi orificium altius erat poſitum inferiore nempe pyloro, qui in medio diſci ventriculi exibat.

3. Veſicula fellea hepati adhærens, collum habebat maximè inclinatum, ductus cyſticus & hepaticus, non in communem aliquem coibant choledochum, ſed duobus diſtinctis oſculis in

inflexi inteſtini duodeni cavum hiabant.

4. Ductus Wirſungianus duos à præcedentibus diſtabat pollices propè duodeni flexuram; è pancreate ad inteſtinum progreſſus ejus in oculos facile incidebat.

5. Ductus hepati-cyſticus unicus reperiebatur.

6. Externo ventriculi margini vermis oblongus adhæſit.

QUADRAGESIMA OCTAVA.

In Falcone.

1. Abdomine, dum adhùc vivebat, aperto, mirâ copiâ adeps prodibat.

2. Diverticula aëris tumentia iterumque ſubſidentia vidimus.

3. Diaphragma membraneum à tremulo corde in anhelam trahebatur palpitationem.

4. Inteſtina tortuoſè poſita erant.

5. Hepar, duobus conſtans lobis, utrumque opplebat hypochondrium, mediante ſepto membraneo intergerino affigebatur diaphragmatis ſepto & coſtis.

6. Hoc ſeparato diſciſſoque diaphragmate, cordis palpitationes patebant, aërisque diverticula è thorace in abdomen uſque protenſa, alternas in- & detumeſcentias continuabant.

7. Cor, mucrone ejuſdem abſciſſo, ſanguinem impetuoſè projiciebat, concreſcentem brevi in denſum quaſi hepati ſimile parenchyma, guſtûs falſiſſimi; valvulæ à ſanguine excuſſo reſilientes ora ilicò obthurabant.

8. Dextro hepatis lobo appenſa cyſtis fellea amœno ſplendebat virore, adipe cincta, tres ejus ductus ſiſtebat colore herbaceo tinctos; cyſticum, è veſiculæ medio deorſùm ſtatim inclinatum, duodeno inſertum; hepati-cyſticum è dextro hepatis lobo ortum, brevique decurrentem ſpatio ad veſiculam; tertium ex eodem natum lobo, longiſſimum

ſimum ductum, bulboſum veſiculæ corpus ſupergredientem, propèque cyſticum in duodeno inſertum. Bilis guſtata amaroris erat penetrantiſſimi.

9. Propè tertium huncce ductum biliarium patulus patebat ductus pancreaticus in duodenum.

10. Oeſophagus tunicâ interiore præditus adeò rugoſâ, ut omnem occluderet cavitatem; circà ventriculi orificium denſâ ſatis coronâ glanduloſâ cingebatur, quæ compreſſa mucum craſſum effundebat.

11. Ventriculi orificia in eâdem ferè altitudine collocabantur; ventriculus intùs valdè rugoſus magma continebat piloſum ſiliculis albis, nigris & griſeis novem permiſtum, piliſque duâbus piloſis quaſi ægagropilis, inſtructum.

12. Cor exactius examinatum, duas habebat auriculas, texturâ contextas reticulari, duos ventriculos, dextrum ſiniſtro minorem, valvulam unicam falcatam in venoſo dextri ventriculi orificio;

cio, tres adjectas ori arterioſo valvulas ſemilunares, duas mitrales venæ pulmonalis oſtio; in aortæ principio tres ſemilunares; duo quoque arteriarum coronariarum orificia à tergo valvularum poſita.

13. In inteſtinis vermis latebat gracilis; circà inteſtinorum finem cloaca formatur ſ. ſaccus latus, pulte ſcatens albicante, ponè hunc alius in uropygio ſacculus ſ. ſinus aderat.

14. Renes dorſo coſtiſque adhærebant, uretheres non cavæ renum parti mediæ incumbebant, ſed mediæ anteriori, planæ ſuperficiei, renes diſciſſi nullas dabant caruncculas conſpiciendas; pelvim in uretherem apertam gerebant, pulte albicante ut in cloaca, hîc & ibî erant turgidi.

15. Oculi bulbi figura ſimilis anſerino, tunicæ corneæ diameter minor erat, major ſcleroticæ.

16. Nervus opticus ferè ad latus inſerebatur bulbo.

17. Tunicæ uveæ Iris adhærebat internæ corneæ tunicæ ſuperficiei.

18. Nervi ſatis conſpicui ſuprà tunicam choroeidem incedebant.

19. Ligamenti ciliaris fibræ diſtinctæ ſuper convexam lentis cryſtallinæ ſuperficiem anteriorem aſcendentes lentem ambiebant cryſtallinam.

20. Lens cryſtallina valdè pellucida erat & magna.

21. Tunica vitrea pulchrè conſpiciebatur.

22. Tunica retina craſſa erat ac dura.

23. Oculi palpebris duæ præter membranam nictitantem aderant glabæ cartilagines.

24. Magnus in aure labyrinthus; ſtapes manubrio ſ. pedunculo donatus erat longiſſimo.

QUADRAGESIMA NONA.

In oculo Anſerino.

1. Membrana oculi nictitans ab uno cantho ad alterum facilè extenſilis.

2. Oculi bulbo ſex erant muſculi, 4. recti, 2. obliqui, horum tamen nullus trochlearis.

3. Oculi bulbi diameter ibi loci, ubi uvea à tunica choroëidea abſcedit, notabiliter major erat, quam arcus tunicæ ſcleroticæ, cui cornea ineſt.

4. Ad canthum oculi majorem bulbo incumbebat glandula conglomerata, inflexa.

5. Tunica ſclerotica facilè ſeparabatur à choroëidea; hæc facilè à tunica humoris vitrei, ab hoc lens cryſtallina cum ligamento ciliari.

6. Nervei rami conſpicui ab una & altera parte plurimi incumbebant tunicæ choroëideæ.

7. Humor vitreus lentis inſtar cryſtallinæ tenſus, tunicâ ſuâ peculiari continebatur.

QUINQUAGESIMA.

In Noctua.

1. Abdomine, dum adhùc vivebat, aperto, nullus adeps, ut in falcone prodibat.

2. Ventriculus quaſi globoſus prorumpebat, vacuus licet omni & eſculentâ & atterente materiâ ſiliceâ.

3. Ambo hepatis lobi & cloaca propemodùm vacua, diſtenta erant inſtar veſicæ urinariæ repletæ.

4. Diverticula aëris aderant ut in fulica.

5. Palpitatio cordis erat languida ità, ut, auricularum ſyſtolen, diaſtolæ ventriculorum præcedere, diſtinguere licuerit.

6. Oeſophaguus ad ſuperius ventriculi

culi orificium ſimili ut in falcone, coronâ l. Zonâ glandulosâ cingebatur, quæ preſſa mucum lentum exſudabat.

7. Ventriculus erat pulpoſus, mollis, minimè durus, intùs rugoſus; orificium pylori arctiſſimum.

8. Hepar duobus conſtans lobis, utrumque occupabat hypochondrium, ligamento ornatum ſuſpenſorio, ſepto tranſverſo membraneo, diaphragmati, ut in Falcone, annexum. Dextro ejus lobo adhærebat veſicula fellea, tribus dotata ductibus, cyſtico, hepatico, qui bini, uno in duodenum hiabant orificio, hepati-cyſtico, hepatico ad latus dextrum adjacente.

9. Veſicula bile turgebat aterrimâ, amariſſimâ; bilis è ductu hepatico effluens, viridior erat colore viridi amœniſſimo.

10. Pancreas erat duplex.

11. Splen aderat parvus, globoſus, ex parte veſiculæ etiam felleæ adhærens.

12. Duplex inteſtini cœci appendix videbatur ad initium inteſtini recti.

13. Ad finem inteſtini recti erat cloaca rotundam veſicam inflatam referens; cloaca parùm materiæ gerebat albicantis.

14. Cordi duplex erat auricula, dextra major ſiniſtrâ; unica venoſo inerat orificio, valvula magna ſemilunaris, aorta tres habebat valvulas ſemilunares, duo quoque arteriarum coronariarum orificia; arteriæ quoque pulmonalis tres valvulæ ſemilunares, ut & venæ pulmonalis duæ mitrales erant valvulæ.

15. Labyrinthus erat ferè ut in falcone, longus adſtabat veſtibulo ſtapes, qui membranæ tympani jungitur.

16. Oculi bulbus erat prægrandis, curioſiſſimæ figuræ, ſicyæ l. cucurbitulæ inſtar, oſſeo pariete intergerino diſſepitus à cerebro; figura anteriùs convexa, pòſt cylindrica, circa extremum augebatur diameter. Cornea inſtar aquæ pellucida, dura valdè, difficilis erat diſſe-

diſſectionis; tunica ſclerotica, duritie omnes ſuperans, in extremo tamen circa nervum opticum mollior, tunica choroëidea levi negotio ſeparabatur à dura; pupilla in diametro valdè ampla; lens cryſtallina ingens difficulter eximebatur, omnium difficillimè verò humor vitreus; tunica retina ampla bulbi fundo adhærebat; nervi optici intrà cranium coaliti, in unum truncum rectà parùm protrahebantur; ſex videbamus muſculos in oculi bulbo.

17. Roſtrum diffractum, ſuperiores lamellas oſſium ſpongioſorum complicatas offerebat, inferiores verò ampliores, expanſas; nervoſque in lamellas illas diſtributos.

18. Cranium transverſim diſſectum, in lamellas egregias, (ut ſ. ſ. ſ., vel ut ceparum lamellæ ſibi invicem incumbentes,) diſtinctum cernebamus.

TANTUM.

OBSERVATIONUM ANATOMICARUM

ORDO.

1. *In cadavere humano Maſculino, inediâ mortuo.* p. 5

2. *In infante 8. annorum, ex variolis defuncto.* 7

4. *In cadavere humano fœminino, diarrhœâ vitam finiente.* 9

4. *In infante recens nato à crudeli matre ſuffocato.* 11

5. *In cadavere humano Maſculino, apoplexiâ exſtincto.* 13

6. *In cadavere humano Maſculino, hydropico.* 17

7. *In cadavere humano fœminino, inediâ geluque hyemali necato.* 20

8. *In Infante 9. circiter menſium peripneumoniâ diriſque convulſionibus vexato.* 23

9. *In puero 14. circiter annorum, atrophico.* 28

10. *In Mola.* 30

11. *In cane ſtrangulato.* 30

12. *In Fele viva.* 35

13.

13. *In cane vertiginoſo.* 37
14. *In lepuſculo.* 38
15. *In mure.* 42
16. *In lepuſculo vivo.* 43
17. *In Fele viva.* 44
18. *In lepore.* 47
19. *In Talpa.* 48
20. *In Vulpe.* 51
21. *In Fele viva.* 55
22. *In muſtela.* 60
23. *In marte ſaxorum.* 64
24. *In Fele viva.* 65
25. *In cane vivo.* 67
26. *In Fele viva.* 69
27. *In cane ſudaſtro.* 71
28. *In cuniculo vivo.* 73
29. *In cane Pontico, ſenio occœcato, vivo.* 76
30. *In erinaceo, canino, terreſtri, vivo.* 79
31. *In fœtu ovillo, cornu uterino adhùc in-rente.* 82
32. *In veſpertilione vivo.* 84
33. *In fœtu ovillo cornu uterino adhùc inhærente.* 87
34. *In inteſtinis porcelli.* 88
35. *In quatuor Ovis ventriculis.* 90
36. *In teſticulo porcino.* 92
37. *In Utero Equino.* 93

38. *In porcæ utero & ovariis.* 94
39. *In utero ex pullo equino.* 95
40. *In duobus ovium Jecinoribus.* 95
41. *In Liene porcino.* 96
42. *In Fœtu Ovillo; cornu adhùc uterino adhærente.* 96
43. *In Vipera.* 97
44. *In Cornice.* 99
45. *In Corvo.* 101
46. *In Fulica.* 103
47. *In Corvo.* 105
48. *In Falcone.* 106
49. *In oculo Anſerino.* 111
50. *In Noctua.* 112

F I N I S.

CATALOGUS LIBRORUM MEDICORUM;

Quos JOH. ARNOLD. LANGERACK, Bibliopola Leydenſis, vel propriis ſumtibus edidit, vel quorum Major ipſi Copia ſuppetit, & adhuc alios in Medicina Libros; qui apud eundem inveniuntur.

Theoph. Boneti Sepulchretum Anatomicum, 3 tom. 2 voll. Lugd. 1700. edit. opt. Fol.
Hippocratis opera Omnia Gr. & Lat. cum Not. Foeſii, Francof. 1657. Fol.
Duretus Comment. in Coacis Hippocratis, Genev. 1665 Fol.
Riverii opera Omnia. Fol.
Diemerbroeki opera Omnia. Fol.
Langii opera Omnia. Fol.
Botanographia, quam Floræ Malabaricæ nomine celebrem, recentior virorum Illuſtrium induſtria ſucceſſive illuſtrando, ad publicum uſum adornavit, L. Bat. 1718. Fol.
Bauhini Pinax Theat. Botanici cum Prodrom. cum fig. Baſ. 1671. Quarto.
Schirnhauſen Medicina mentis & corporis, cum fig. Quarto.
Sylvii opera Medica editio optima, Amſt. 1697. Quarto.
- - - Caſus Medicinales ſeparat. Quarto.
Ramazini opera Omnia, cum fig. 1716. Quarto.
Wepferus de Cicuta Aquatica, cum fig. 1716. Quarto.
Joh. Ray Hiſtoria Inſectorum & Liſter de Scarabæis Brittannicis, Lond. 1710. Quarto.
Clerici Hiſtoria Naturalis & Medica Latorum Lumbricorum, cum fig. 1715. Quarto.
Laur. Bellini Opuſcula aliquot Archibaldi Pitcarni de motu cordis, &c. cum fig. L. Bat. 1714. Quarto.
- - - Exercitatio Anatom. de Structura & uſu Renum & Guſtus Organo, cum fig. ibid. 1711. Quarto.
Pitcarni Opuſcula Medica, Rott. 1714. Quarto.
- - - Elementa Medicinæ, Hagæ 1718. Quarto.
Broen opera Omnia Medica, Rott. 1701. Quarto.
H. a Deventer operationes Chirurgicæ ſive ars obſtetricandi, cum fig. Lugd. Bat. 1701. Quarto.
Julii Pontederæ Compendium Tabularum Botanicarum, Patavii 1718. Quarto.
(Charas Pharmacopœa Regia, 1684
(- - - Pharmacopœa Chymica, 1684
(- - - Hiſtoria Plant. Animalium & Mineral. c. fig. Quarto.
Vigeri opera Medica & Chirurgica. 1651. Quarto.
Traité de la Lumiere & de la Preſenteur par Huygens, av. fig. Quart.

Caroli

Caroli Piſonis Select. Obſervat. de morbis ab feroſa colluvie ortis, Lugd. Bat. 1716. Quarto.

Mauriceau Traité des Maladies des Femmes Groſſes; avec fig. Paris 1715. Quarto.

- - - Obſervations ſur la Groſſeſſe avec les derniers obſervations, ibid. 1715. en veaux. Quarto.

Valſalva de aure humana, cum fig. 1716. Quarto.

Lanciſii opera Omnia, 2 voll. cum fig. 1717. Quarto.

Leeuwenhoekii opera Omnia, 3 voll. cum fig. Quarto.

- - - - Epiſtolæ ad Societ. Reg. Lond. ſive Continuatio Arcanor. Nat. Detect. Lugd. Bat. 1719. Quarto. Separat.

Peyeri Merycologia ſive de Ruminantibus & Ruminatione Comment. cum fig. Baſ. 1685. Quarto.

Joh. Rhodius de Acia & de Ponderibus & Menſuris per Th. Barth. cum fig. Hafn. 1672. Quarto.

Sydenham opera Omnia, Lipſ. ed. ult. Octavo.

Vieuſſens Novum Syſtema Vaſor. Anat. Corp. Humanæ. Oct.

Tulpii Obſervariones Medicæ, cum fig. L. Bat. 1714. Octav.

De Graaf opera Omnia Medica & Anatom. cum fig. Octavo.

Frynt de Febribus ad Hipp. de morbis popul. Amſt. 1717. Oct.

Hecquet de purganda Medicina a curarum ſordibus, Pariſiis 1714. Octav.

Schulteti Armamentarium Chirurgicum, cum fig. Octav.

Merret Pinax rerum Nat. Btitannicarum, Lond. Octav.

Abregé de l'Hiſtoire des Plantes Uſuelles par Chomel, Paris. Octav.

Le Chirurgien de l'Hoſpital par Belloſte, avec fig. Octav.

Anatomie de la tête de l'Homme & des ccdepend, par Charrierre, a Paris. Octav.

Cour d'Operat. de Chirurgie, par Dionis, avec fig. a Paris 1716. *Oct.*

Gebri Regis Arabum Chymia, cum fig. Danz. 1682. Octav.

Traité de la Generation des Vers dans le Corps de l'Homme par Andry, avec fig. Octav.

Traité des Alimens par Lemmery, a Paris. Octav.

l'Appareil Commodé en Fafeur des Jeunes Churigiens, par le Clerc, avee fig. a Paris. Octau.

l'Art de Guerir les Maladies Veneriennes, par Blegny, 3 voll. avec fig. Octav.

Pharmacopœa Fulleriana, Lond. 1708. Octav.

Peyeri Parerga Anatomica ſeptem, cum fig. Octav.

Blaſii Obſervationes Medicæ rariores, cum fig. Octav.

Jac. Hovii Tractat. de Circulari Humorum motu in oculo & Thebeſius de Circulatione ſanguinis in corde, cum fig. 1716. Octav.

Tournefort Schola Botanica, Amſt. Octav.

FINIS.